



1771.

1. Buff, Christophorus Ludovicus Wilhelmus: De conductis
jure serenissimorum Hassiae Landgravorum per Wettel-
sariam, p I et generalis: observationes re conducta,
quae in Germania origine, et habitis, potiores com-
plexa.
- 2^a = Jagert, Christianus Hartmannus Samuel, Ord. Jus. Deca-
nus: honores juris utriusque doctorales. . . . Christ.
Johann Ludovicus Guilielmus Buff. . . . ex more nu-
per collatos. . . . significat et quae. . . . de dominio
Moeni quatenus imprimis spectat ad serenissimos
Hassiae Landgraves tanquam Comites in Catimeli-
boco dicenda restant absolute.
- 2^b = Jagert, Christianus Hartmannus Samuel: Ord. Jus. Decanus:
honores doctorales. . . . Ludovico Julio Frederico Haepfers
. . . . rite conferendos indicat et: de dominio Moeni,
quatenus imprimis spectat ad serenissimos Hassiae
Landgraves tanquam Comites in Catimeli Boco

Dicere pergit.

2^e Galtzer, Christianus Hartmannus Samuel: Föderici Caroli
Schweizer . . . nec non Gerhardi Tabiani Kustnelli . . . 3.

sollennis inaus, in dicit et: de Dominio Mousi, quate-
nus in principis spectat ad serenissimos Hassiae Landgra-
vis tanquam comites in Petitoribus agere incipit.

3. Hoepfner, Ludovicus Julius Friedricus: de effectu restitu-
tionis in integrum quoad fiduciariorum.

4^{te} Koch, Fr. Christophorus: de beneficio excussionis tertio
hypothecae specialis possessori competente:

2 Saemph. 1741: 1783

1772.

4. Buchholz, Georgius Fridericus: An et quatenus parenti
superstiti in communiōe bonorum universalium cum
liberis continuata etiam si nulla praecesserit commu-
nem separatim testari liceat? 5.

2. Hall, James Leonhardo : De matrimonio cum defunctae uxoris sorore -

3. Leip, Helmutus Bombardus : - recitationes semestri aestivo habendas indicat et offert atque principum : De juris dictione supremorum imperii tribunalium in causis ecclesiasticis Evangelicorum non magis, quam Catholicorum non magis, quam Catholicorum fundata. - collustrat.

4. Koch, S. Christoph, Ord. jur. Decanus : Programma de codice manuscripto institutionum Testiniani temp. ad mare Balticum reperto, quo . . . Frederici Caroli Aekermann et Georgii Balthasar Wolmershausen . . . nec non James Leonhardi Hall sollemnia inaugurata indicit.

5. Koch, S. Christoph, Ord. jur. Decanus : Programma de brevibus extravagantium Bernardi Casae Lud. Ms. membran. biblioth. acad. Gies., quo . . . Caroli Frederici Lutheri.

... in aug. . . . De jure revolutionis s. recedentia
... et aliaque reliqua sollemnia inauguralia indicit

6. Koch, Dr. Christoph: De jure revolutionis s. recedentia

7. Koch, Dr. Christoph; Ord. jur. Decanus: Programm. de
centii III. P. R. collectione decretalium prima inter
antiquas Tertio Cod. ms. membran. biblioth. acad. Sa-
sensis; quo Dr. Georg Trider Rämpel et Joan. Frick Lehr-
... sollemnia inauguralia indicit.

8^{at} Koch, Dr. Christoph: De pecunia ad emendum cre-
dita privilegiata et non privilegiata. 2 Sept
1772 & 1782

8^c Koch, Dr. Christoph; Ord. jur. Decanus: Programm. de
Bonifacii VIII. P. R. P. R. II Decret. libro Cod. ms.
membran. biblioth. acad. Giennensis, quo

... morum in jure honorum Gise Comrad Schneiders . . .
... Sallernia inaugurali interit.

9. Schneiders, Gise Comrad: De quadrante gratiae,
et speciatione, quatenus obtineat in Augustissimo
Collegio Cameracae Imperialis.

[Faint, illegible handwriting in a cursive script, likely a historical document or letter.]

117







24

Gen. C. num. 37.

1771/17

Q. D. B. V.
COMMENTATIONIS IVRIS PVBLICI HASSIACI
DE

CONDV CENDI IVRE
SERENISSIMORVM HASSIAE
LANDGRAVIORVM

PER WETTERAVIAM,
PARS PRIOR ET GENERALIS,
OBSERVATIONES

DE CONDVCTV, EIVSQVE IN GERMANIA
ORIGINE ET HABITV, POTIORES
COMPLEXA

P. 172

QVAM
CONSENSV

ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS
IN ALMA LVDOVICIANA
PRO SVMMIS IN IVRE HONORIBVS
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS
RITE CONSEQVENDIS

PVBLICAE PROCERVVM ACADEMIAE DISQVITIONI
SVBICIT

CHRISTOPHORVS LVDOVICVS WILHELMVS
RVFF

IN ILLVSTR. REG. GISS. ADV. ORD.
AD DIEM XIV. NOVEMBR. MDCCLXXI.

GISSAE,
apud IOANNEM IACOBVM BRAVN, acad. typogr.



1775

COMMEMORATIONE TIBI PUBLICI MASTRIS


CONDUCENDI IVRE
SERENISSIMORVM HASSIAE
LANTHOMORVM

PER WETTERAVIAM
PARS PR. OR ET GENERALIS
OBSERVATIONES
DE CONDUCTA CIVIS IN GERMANIA
ORIGINE ET HABITU POTIORES
COMPLUR.

QUAM
CONSENSU
MESTRIS LANTHOMORVM ORDINIS
IN ALMA LANTHOMIA
PRO SUMMA IN IVRE HONORIBVS
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS
RITE CONSERVANDIS

EXPLICIT PROLEGOMENON DOKUMENTI
CHRISTOPHORVS FVDOLIVS WILHELMVS
BAPT.
IN MESTRIS LANTHOMIA ANNO
AD DIEM 27. NOVEMBER MDCCLXXV

1775
Johann Jacob Braun, Holz. Steyer.



217/17





COMMENTATIONIS IVRIS HASSIACI
PVBLCI

DE
IVRE CONDVCENDI
SERENISSIMORVM HASSIAE LANDGRAVIORVM
PER WETTERAVIAM

PARS PRIOR ET GENERALIS,
OBSERVATIONES


DE
CONDVCTV EIVSQVE IN GERMANIA ORIGINE
ET HABITV POTIORES COMPLEXA.




§. I.

INSTITVTI RATIO.

Circumspicienti mihi materiam, quam in
dissertatione mea inaugurali elaboran-
dam sumerem, Ius conducendi, spe-
cialim id, quod SERENISSIMAE
HASSORVM PRINCIPVM GENTI
per Wetteraviam competit amplissi-
mum, huc potissimum conuenire videbatur. Siquidem
A
enim



enim ius historiaeque domestica praecipua quadam illustratione dignae sunt, haud sane infimum locum inter iura patriae nostrae propria ius conducendi occupare, nemo forsitan erit, qui negabit. Siue enim grauitatem ejus spectes, siue antiquitatem, siue denique frequentiam non facile erit cum aliis comparandum. Nec tamen animadvertendam quemquam, qui id post historiae imperialis, iurisque patrii culturam meliorem id sibi illustrandum hucusque sumsisset. Nam licet habeamus varia huc pertinentia scripta sua non plane defraudanda laude; sunt tamen fere non omnia ex iis temporibus, quibus ius historiaeque domestica terribili caligine adhuc offuscaetae erant; quibus ICTi ius nostrum publicum e iure romano deducere, Electores cum praefectis praetorio comparare, singulaque verba centuria Legum & cohortae auctorum fulcire, consueuerant. Hinc pleraque quae tractant, romana sunt, vel nil plane huc pertinentia. Vnicum si exceperis Orthium, haud infimi iudicii, nec contemnendae in historia iureque patrio virum. Qui tamen cum eo quo scripsit aeuo, haec quae nunc historiis atque iuribus patriis ex innumeris postea productis chartarum coaeuorumque voluminibus nondum illuxerat dies, & quo fere adhuc sola romana placebant, a vitiiis seculi sui non prorsus immunis est, nec semper satis sollicite praeiudicia aliorum vitauit, neque etiam genuinam iuris conducendi originem satis explicuit, ac quod maximum est, varias falsas conclusiones ad hoc ius adduxit. Ex recentiori aeuo tantum vnus, sed qui facile palmam omnibus praeripit & primo loco nominandus erat, in hac iuris patrii doctrina digne versatus est, Francosurtensum ICTus
cele-



celeberrimus, Consult. ORTHIVS, qui in libro doctissimo, von den berühmten Reichs - Messen in der Reichsstadt Franckfurt am Mayn, pluribus locis magno cum delectu hocce argumentum illustravit. Deinde qui iuri conducendi Serenissimorum Hassiae Landgraviorum per Wetterauam amplissimo, specialiter calamum accommodare, idque proprius illustrare & explicare operae duxisset pretium, plane inueniebam neminem. Nisi paucula admodum, quae de eo in libello Darmstadtino contra Solmeneses apud Ludolsum ^{a)} occurrunt, & quae Consult. ORTH. citat tr. von den Reichsmessen subinde inter spersit, cui nec per omnia assentior, huc referre velis. Quamuis enim, quotquot euoluas iuris publici scriptores, id constanter inter praecipuas iuris conducendi in aliena ditione competentis species commemorent; tamen nimis parce, generaliter, atque transitorie de eo loquuntur. Eam ob causam hocce SERENISSIMORVM HASSORVM PRINCIPVM ius amplissimum exponere apud animum propositum fuerat. Et sane collectis hunc in finem variis nec vbiq; obuiis obseruationibus, atque praesertim ex documentis hucusque nondum editis, haud vulgaria me daturum spondere poteram. Sed cum deinde inopinato, neque me tale quid praestolante, euentu, patria linquenda esset; nec tamen nisi gradu academico insignitus discedere voluissem; mutandum erat propositum, hinc inde ad ius illud insigne SERENISSIMORVM HASS. LANDGR. condigne illustrandum quibusdam necessariis subsidiis adhuc deficientibus. Quae commentatio iam alii temporis reseruata esto. Coactus igitur fui ea tantum quae de iu-

A 2

re

a) In symphoremate Consult. Cameral. symphor. 3. n. 6.



re conducendi eiusque origine ex historia chartisque medii aevi hinc inde observaueram, festinante calamo speciminis inauguralis loco exhibere. Qua in re nec semper selectus, nec concinna admodum methodus, prae nimia festinantia, qua id conscribendum erat, adhiberi potuit. Non ergo Beneuoli Lectores iam absolutam quandam huius iuris tractationem expectent. Hoc enim post MAVLI *b*) ORTHI *c*) operas actum agerem, sed quantum fieri potuit breuiter tantum iuris huius naturam atque originem e genuinis principiis eruere tentauit. Qua in re me longe ab aliorum, diuersas habuisse ratio-

b) Erat auctor Consiliarius Laubaco-Solmenfis, Tractatum de Iure Conducendi quod simpliciter das Gelayd vocatur a. 1621. perscripsit, in quo varia, vt Dominis suis per quorum ditiones Serenissimis Hassiae Landgrauis ius conducendi ab antiquo competiit, blandiret, iis contra Serenissimos dominos conducendi iuris, proficua principia stabilire alloborauit. Prodiit quod mireris hic Liber Gieslæ 1621. Auctor haud incelcebris, praeterea varia alia scripta reliquit: super constitut. de litigiosa possessione, & oc pignorationibus, vltimis voluntatibus ac quibusdam aliis

materiis commentatus est.

c) FRIDERICVS ALBERTVS ORTHEN (Consiliarius Pfedelbaeo-Hohenloicus) suum tractatum de regali conducendi iure von der Geleits-Herrlichkeit (quantum ex mea editione conuicere potui) a. 1672. edidit. Id quod ex dedicatione hoc anno cum adhuc Consiliarius Smidelfeldo-Limbürgensis esset, exarata & magistratui Norimbergensi adscripta concludendum. Illustr. PVITER, quidem in iur. publ. §. 534. edit. anterior., de a. 1669. meminit, quam vero videre non licuit. Editio nouissima praefert annum 1682.



rationes, huius cum aliorum scriptis collatio vnique facile ostendet. Et si forsan hic, alicubi errore lapsus fuero, eo facilius ab aequis rerum aestimatoribus veniam me impetraturum spero & prope confido, quo maiori haecce materia laborat difficultate, varietate, medique aevi incertitudine. Quare & hoc publice testor, per ea, quae hic tantum exercitationis academicae causa & ex scientia veritatis proponuntur, alicuius iuribus me aliquid derogare minime velle.

Quae enim, ab omni partium studio longe alienus, rationibus convictus ac fide dignorum documentorum, scripsi; ac si quis me conuincere poterit, quod in re ulla minus recte sentiam vel me geram, laeto lubentique animo mutabo, sector enim veritatem, a qua nemo vnquam laesus est, laeditur vero, qui in errore suo aut ignorantia persistit.

§. II.

DEFINITIO IURIS CONDUCENDI ATQVE CONDUCTVS.

A definitione, iuris quod explicaturus sum, dissertationem meam merito ordior. Sicuti vero generaliter omnis in iure definitio periculosa habetur, ita hoc ob diuersimodam plane iuris huius in diuersis Germaniae locis faciem differentesque ad id pertinentes, species hic imprimis affirmare licet. Siquidem illud diuersissimis in singulis Germaniae prouinciis exerceri soleat modis; ac paucula admodum ex generalibus notionibus de eo vniuersaliter affirmare liceat. Cum fere non omnia in eo, vixote antiquis obseruantis, priuilegiis, pactisque intro-



ducta ad illam, horumque tenorem metiendâ veniant *a*)
 Faciamus tamen definitionis periculum. Si publica aucto-
 ritate aliquem ab omni vi, rapinis, damnis aliorum tu-
 tum reddimus, omnique metu captiuitatis liberamus, tunc
 eum *conducere* *b*) s. securitatem praestare, *geleyten ge-
 leyt*

a) Non igitur conducendi
 ius in vniuersum e laudo Heil-
 bronnenſi in cauſſa controver-
 ſa Electoris Palatini cum adia-
 centibus, ſuper Wildfangiatu, iu-
 re conducendi, & teloneis d. 7
 Febr. 1667. a Regum Galliae
 & Sueciae delegatis promul-
 gato, diiudicandum ac reputan-
 dum erit, ac ſi Dn. iuris con-
 ducendi non quandoque etiam
 alia & ampliora, iuribus Electo-
 ri Palatino ibidem adſcriptis
 per obſeruantiam competere-
 nt. Qui ita argumentari vellet
 inſigniter falleretur. Laudum
 praedictum obſeruantiam ſem-
 per primas vbique tenere ipſum
 innuit, quando hanc ſequen-
 dam tam frequenter ſtatuat.

b) Varios verbi *conducere* &
conductus tam apud Latinos,
 quam mediæ aevi ſcriptores,
 qui cognoscere geſtit. is ad-

cat ROBERTI STEPHANI theſau-
 rum linguae Latinae, nec non
 BASILII FABRI theſaurum ex
 non parum auctiori editione
 GESNERIANA, praecipue vero
 illa eruditionis mediæ aevi ci-
 melia, CANGII GLOSSARIUM
 mediæ & infimæ latinæ ex
 noua Baſilienſi edit. d. a. 1762.
 (Quae quodammodo ob adiun-
 cta Cangii de numiſmaticis
 mediæ aevi diſert, quae in Pari-
 ſina editione omiſſae erant hac
 praeceminet, neque ei ſplendo-
 re typographico aut curato
 textu, bene vero pretio, ce-
 dit, dolendum tamen quod non
 per aliquot ſaltem annos tar-
 dius prodierit, vt etiam quae
 anno 1766. CARPENTIIENſI ac-
 ceſſiones inferi potuerint).
 verb. *conductus* & *conducere*?
 add. WEHNER in obſeruat.
 pract. uoc. Glair.



teyt geben c) dicimur. d) *Ius conducendi* igitur mihi in iure

c) *Gelait geben*. Quandoque tamen hoc etiam deprædicatur, vbi vel delinquenti vt prætentam suam innocentiam in iudicio deducere possit, libertas a carcere promittitur, vel alicui ut *secure domicilium in aliqua ciuitate constituere possit facultas conceditur*. Innuit hoc sueuicæ societatis conuentio d. a. 1496. Artic. 34. vbi: datz niemand in Schlossen, Staedten, Maerckten; Doerffern und Gepieten *Gelait* haben oder geben vverden solle, aufsgenommen zu hoefen, Rechteu oder gutlichen tagen. apud *DATIVUM* de pace imperii publ. lib. 2. cap. 14. Etenim *vox hoefen* significat *ius hospitaturæ*, vel receptionem in numerum *ciuium*, vel ad tempus vel in perpetuum *DATF.* l. c. c. 18. & c. 9. n. 40. *SCHILTER* exercit. ad D. 15. §. 13. Nam & vocabulum latinum *conductus* sæpissime pro hospitatura acceptum fuisse iam obseruauit

CANGIVS in glossario med. & infim. latin. hac voce. Atque id notes velim, quia in hac acceptione vocabulum *Gelait* in multis chartis occurrere solet, ne inde forsitan erronee ad ius conducendi concludas. Cum enim olim solis *Impp.* ius recipiendi ciues in ciuitatibus imperialibus competeret *EYBEN* de regal. priuat. cap. 2. §. 2. *KNIPSCHILD* de ciuitat. imperial. Lib. 2. cap. 29. n. 4. *LEHMANN* in chron. spir. L. 4. c. 14. *SCHILTER* instit. iur. publ. T. I. L. I. Tit. 6. c. 4. Imperatores sæpissime hac voce ciuitatibus ius recipiendi alios intra sua moenia largiti fuere. Faciunt haec ad illustrandam litem de iure conducendi etiam *Serenissimos Brandenburgicos* Marchiones inter & *Norimbergam* præter alia plura agitatum. Memorat auctor *HISTORIAE DIPLOMATICAE NORIMBERGENSIS* pag. 539. variis imperii statibus in vrbe conuenientibus magi-



iure peregrinantibus transeuntibusue publica auctoritate, comitatu armatorum imprimis, securitatem praestandi consistit. Ipsa autem securitatis praestatio audit *conductus* germ. das *Gelayr*. Quod tamen vocabulum uti etiam Germanicum *Gelayr* pro ipso conducendi iure litteris praesertim inuestiturarum passim venire solet. Ius conducendi idiomate patrio nomine *des Gelayts-Rechts*, *Gelaytlichen Obrigkeit*, *Gelayts-Herlichkeit* &c. appellatur.

§. III.

VIAE IN QUIBUS IUS CONDUENDI EXERCETVR SPECTANT AD CONDVCT. DOMINVM

Statim ab initio hic praemonendum duco, iuris conducendi sequelam quandam esse, quod viae in quibus id exerceri solet, ad eius, qui ius conducendi habet, dominium referantur a). Eam ob causam quondam cum

magistratum a. 1416. conductum octo dierum dedisse, habe ihnen auf 8. Tage *Gleit* zugeschrieben, quibus certe verbis, non ius conducendi sed securitas in ciuitate mansio significatur, vid. IO. *ab INDAGINE* Beschreibung der Stadt Nürnberg B. 4. L. 4. §. 7. S. 561.

d) Illustrant hanc notionem diplomata apud KVCHENBECKER in *Analect. Hass. collect.* p. 278. & apud L. E. *de GV-*

DENVIS in Codice diplom. Tom. 4. p. 451.

4) 2. feud. 56. COCCHEI in iurisprudencia publ. cap. 23. §. 29. Clar. HANSELMANN in diplom. Beveiß von der Landshoheit des Hauses Hohenlohe vor dem großen Interregno. §. 135. SIXTIN de regal. lib. 2. cap. 2. BOCCER de regal. cap. 2. n. 144. FRITSCH de regali viarum publicarum iure, ORTH de regal. conduc. iure pag. 95. Qui iuris conducendi domino



ius conducendi ad Imperatores ordinarie adhuc spectaret, etiam dominium viarum publicarum *b)* iis competiit,


B

&

mino quidem viarum publicarum dominium in propria eius ditione asserit, in aliena ditione vero negat. Sed hanc distinctionem erroneam esse ex iis, quae infra de aequali modo, quo conducendi iure gaudentibus, id tam in propria, quam aliena ditione obuenit, commentabor, patebit.

b) Noli tamen credere, medio aevo eiusmodi fixas & perpetuas vias Germaniam habuisse, quae ubique determinatos & constantes limites habuerint. Id vel Ius Saxonicum, quando Lib. 2. Art. 59. praecipit, *Des Königs Land-Strasse soll seyn also breit, das ein Wagen dem andern vveichen möege;* innuit; quod praeceptum sane, si auctoritate publica viae constitutos limites habuissent, superfluum fuisset. Transibant peregrinantes quondam, quo maxime commodum iis-

dem videretur; cum maiores nostri viis reparandis curam impenderint nullam. Quare viae licet celeberrimae non nisi certis quibusdam locis determinabantur. Sic v. c. via e Saxonia Francofurtum ducente, semper quidem per Gronbergam, haud incelebre quondam Hassiae oppidum, itum fuit; at via hanc inter atque Francofurtum intermedia, certi habebat nihil. Viae, quae nunc adfuerunt publicae communi aurigarum atque peregrinantium arbitrio demum sensim sensimque, quando viam quandam quia iis maxime commoda videretur, praecipue frequentarent, inualuere. Patet ex hac viarum publicarum origine, cur tam curuae per totque varios anfractus eant. Facile exinde quoque de erronea sententia ORTHII in tr. de iure conduc. p. 372. ius conducendi viae tanquam glebae adscri-



& huiusmodi viae dictae fuere; *Kayser Strassen c) Koenigs Strassen*, ita enim ius provinciale Saxonicum Lib. 2. Art. 59. des *Koenigs Landstrasse* &c. vid. not. b., *Reichsstrassen*. Sic Imperator Sigismundus in charta d. a. 1421. d) vocat viam: *unser und des Reichs Strasse*. Varia ex hocce dominio viarum, quae circa easdem obtinent iura, explicanda veniunt. Descendit inde quod nemo a quo forsitan securitati publicae damnum metuendum per eas sine Domini conductus praescitu transire queat. Aliaque quae suo infra adducturus sum loco.

§. IV.

VARIAE CONDUCTVS, CONDUCENDIQVE IVRIS SPECIES. ET QUIDEM 1) DE DISTINCTIONE IN CONDUCTVM QVI DICITVR VIVVS, ET MORTVVM S. SCRIPTVM, INSIGNIQVE HARVM SPECIERVM DIFFERENTIA.


Conductus species a scriptoribus multiplices diversifimaeque enumerantur. Non iam est meum omnes minutissimasque in praesens colligere. Hoc iam ante me

adscribentis, adeoque id cum via forte chafmate intereunte perire statuentis, iudicare poterit. Quam etiam, si operae pretium foret, adhuc aliis rationibus refutare possem.

c) Vid. MAYL. in tr. de iur. conduc. Tit. 2. n. 2. MYLLER ab EHRENBACH de statib. imper. cap. 59. §. 1. HANS-

SELMANN l. not. praeced. a) cit. Add. quae eam in rem iam Leges Burgund Tit. 27. §. 3. & Leg. Baiuuar. Tit. 9. §. 13. statuunt huc quodammodo facientia.

d) ap. L. B. de GVDENVS Tom. 4. Cod. diplom. pag. 132. Add. Auct. not. praec. cit.



praestiterunt alii a). Sed eas tantum, hasque praecipuas de quibus in sequentibus sermo iniiciendus erit, explicabo, ut cuiusque natura atque indole probe expensa deinde eo minus offenso pede procedere valeamus. Dipecti communiter conductus solet in *viuum das lebendige*, & *scriptum seu mortuum das schriftliche oder todtte Gelayt*. Quando scilicet hominibus armatis ad id publica auctoritate constitutis securitati peregrinantium prospicitur, iique comitantur, *conductus* eiusmodi audit *viuus lebendiges Gelayt*. *Conductus scriptus* seu mortuus vocantur litterae restantes *guidagium b)* solutum esse, quare securus transitus, ac in casu factae a latronibus direptionis refarcitio damni sponderetur. Non vno modo duae haecce species differunt. Si enim hominibus armatis viae obaequantur, peregrinantibus armatorum comitatus datur, atque infestatores securitatis publicae conquiruntur & puniuntur, id demum actum imperii insignisque illud regale iuris conducendi constituit. Non idem de conductu scripto affirmare possumus. Cum hic tantum speciem quandam vectigalis constituat, ac quae ex veteri formula accedit sponsio securitatis, quodammodo


B 2

quasi

a) Vid. ORTH in tr. de iure conducendi c. r. p. m. 8. seq. & c. 4. per tot. WEHNER in obseruat. pract. voce *Glait*.

b) *Guidagium*, *guidaticum*, *Guidonagium*, *guisagium*, *guisaticum*, *guionagium*, immo quandoque *Wionagium* praesertim sumitur pro praestatione, quae pro conductu exsol-

uitur. Quamuis etiam quandoque conductum ipsum significent. Vid. GLOSSARIUM du FRESNIANVM hac voce. Differunt ab eo *pedagia*, *vectoria* &c. quae pro usu viae & pontium soluntur. *Telonea* pro usu commerciorum, dantur. *Accisa*, a subditis tantum de mercibus consumendis soluitur.



quasi pro asssecuratione quadam solummodo habenda sit. Euoluas modo eiusmodi conductus scripti formulam d. a. 1261. in thesauro diplomatico GVDENIANO c). Siquidem quandoque factum fuerit, vt aliquis conductum mortuum quidem dare potuerit, non autem ius conducendi s. conductus viui ei competierit. Exemplum ex tabulis antiquis in commentar. adhuc editura de iure conducendi Serenissimorum Hass. Principum per Wetterauam suppeditabo. Hucusque dictis clarior lux affulget, si originem distinctionis huius e iure publico medii aevi paululum illustraero.

Erant scilicet quondam in omnibus fere *viis regni* celebrioribus, certa guidagia intuitu conductus soluenda instituta. Spectabant haec d), vt ius conducendi ipsam vna cum teloneis e) per vniuersum Imperium ad domanium

c) Tom. I. p. 691.

d) Apposite eam in rem Concil. Auenion. d. a. 1209. c. 6. statuit: iubemus vt tam eccles. personae quam seculares a *paedagiis, guidagiis* — penitus desistere compellantur: nisi forte Regum vel Imperatorum concessionibus probauerint se habere, in Collect. Concil. maxima LABBEI ET COSSARTII PARISIENA Tom. I. P. I. p. 44. Eadem habentur in Concilio Tolosano de a. 1229. c. 21. nisi ea,

quae ab antiqua Imperatorum vel Principum concessione probauerint esse concessa, vel ex antiqua consuetudine introducta l. c. p. 432. Adiungi etiam ea poterunt, quae infra de iure conducendi ipso §. II. commentaturus sum.


e) Vid. PEEFFINGER in *Vitriar. illustrat.* Tom. 3. p. 507. & p. 484. seqq. ibique plures citat. SCHWEDER in *Instit. Iur. publ. Part. spec. Sect. I. Cap. 20. §. 8.* Quis ignorat controuersiam,



nium Imperatorum. Imperatores guidagia haec, & pecunias
B 3

siam, quae Imperatori Alberto, hac ex causa telonea Rheni sibi vindicanti, cum Electoribus Rheni ao. 1300. desuper intercessit? Variis Impm. concessionibus, oppignorationibus, aliisque modis haec iura deinde statibus obtinere, confer. auct. cit. Telonea in Germania olim haud indigena ex Gallia & Romanorum moribus introducta fuerunt. Interim ad mercaturam tantum pertinuisse certissimum est. Vid. excerpta Capitular. apud HERTIVM in notit. veteris Francorum regni c. 3. §. 44. opuscul. Vol. 2. Tom. 1. p. m. 342. Diserte eam in rem statuit concilium Tolosanum d. a. 1229. Cap. 21. Item praecipimus quod clerici & etiam religiosi & quilibet peregrini & milites cum rebus ipsorum immunes sint ab omni pedagio, nisi fuerint mercatores. in Collect. Concil. Paris. l. modo nor. d. citato, atque in feudalis Allem. c. 254. §. 4.

Pfaffen und Ritter und all ihr gur sollen Zollfrey seyn. Iisdem verbis id repetit. Ius Prouinc. Saxon. Lib. 2. artic. 27. Plerisque, PRINCIPES COMITESQUE imperii, generaliter etiamnum hodie a vectigalibus ratione rerum, quae ad usum eorum proprium praesertim ex aliis eorundem ditio- nibus transportari curant, immunes esse, contendunt, nec quantum ex hucusque dictis patet, sine ratione SENCKENBERG select. iur. & histor. in praefat. ad Tmm. 6. p. 39. seqq. SCHWEDER in Instir. iur. publ. parte spec. Sect. I. Cap. 20. §. 20. n. 3. add. LEYSER in medit. ad D. spec. 428. medit. 4. seqq. Certe Serenissimi Hass. Landgr. fratres Wilhelm., Ludouicus & Georg. in conuentione. A. 1582. cum Wetterau. comitibus inita hancce immunitatem agnouerunt: daß nemlich die obgenannten Grafen ihr Wein, Frucht, und andere Nothdurft, zu ihren Hauß und Hofhaltungen, in allen der




cunias inde redeūtes variis modis aliis oppignorabant, vendebant &c, conducendi securitatemque publicam & peregrinantium defendendi, vrpote insigni illo imperii iure, cui exercendo alii rarius pares fuere, sibimet adhuc retento. Sed cum & hoc ius, sequioribus tamen plerumque demum temporibus, aliis quibus variis de causis interat id habere, obueniret, cum & conductus scriptus aliorum plerumque non vno modo restrictus esset, sensim hae duae conductus species alii atque alii competentes inualuere. Probat quod dixi diploma Imper. Ludouici Bauari d. a. 1346. f); quo Gerlaco Dynastae de Lympurg 20. thufent punt Heller in

fteu-

der Herrn Landgrafen Zollschad-
ten ohne Bezahlung des Gulden
und anderer Landzoll frey passiren
sollen -- doch daß zu
Vermeidung aller Unterschleif --
die Graffen so -- dergleichen
durchzuführen gemeynt seyn,
dem verordneten Hessischen Zoll-
schließern die Anzahl ihrer Noth-
wendigkeiten vermelden, und
darauf Zollzeichen und Befehl-
Schriften an die Zoellner und an
die Beamten empfangen sollen,
welche ohne Geld mirgerbeit
werden sollen. Eundem fere in
modum ao. 1662. cum Flectore
& Capitulo Moguntino Conuentio
nita fuit, cter. die Hessische
Zollordnung a. 1706. Darmstudii

impressa, Tit. 4. & 5. Quali-
uis hancce immunitatem urba-
nitatis tantum iure competere
asserat, MOSERVS in compendio
iur. publ. Lib. 4. Cap. 13. §. 9.
Add. IDEM in den Anmerkun-
gen zu der Wahlcapitulation Ca-
roli VII. P. 3. p. 116. & 118.
Plura scire qui desiderat adeat
scriptores, qui specialiter de
hac materia commentati sunt.
DAHMIVM s. NEVREVTHE-
RVM, ENGELBRECHTVM, MV-
SAEVM, HETZELIVM, SALTZ-
MANNVM.

f) apud SENCKENBERG se-
lector. iur. & histor. Tom. I.
p. 234.




steuras Francofurtenses, Fridbergenses, Geilnhufanas und
von dem Zolle und Geleytis Geld zusehem Hachinberg und
Mentze assignat. Ius conducendi ipsum, Imperatorem si-
bimet adhuc retinuisse, non est dubium, cum de eius con-
cessione nil plane dictum reperiatur. Si ergo haec con-
cessio fuisset perpetua, id quod in aliis accidit; Limbur-
genes hic conductum scriptum seu mortuum, absque
iure conducendi proprie sic dicto habituri fuissent.

§. V.

CONDUCTVS SPECIES AB OBIECTO SVNT VARIAE II) CONDV-
CTVS CAROLINVS SPECIES PLANE SINGVLARIS; NEC EXINDE
AD RELIQVAS CONDVCTVS SPECIES, IVSVE CONDVCENDI
IPSVM VALET CONSEQUENTIA.

Ratione personarum, quae conducuntur, infinitae
conductus species nascuntur. Ita si Principibus magnati-
busque proficiscentibus honoris securitatisque causa co-
mitatus datur, inde *conductus Principum* descendit; suo
merito primo nominandus loco. Ac vii Electores, inter
Principes imperii principalem tenent locum, ita sine du-
bio vel maxime huc referas *conductum Electorum*. Verum
enim vero *conductus Electoribus*, ad comitia eligendo Regi
Romanorum indicta proficiscentibus, ex *Constit. Aureae
Bullae* Caroli IV. Imp. *debitus*, qui ab huius legis pragma-
ticae auctore Carolo IV. *Carolini* nomine venire solet, *pla-
ne singularis est*, nec exinde ad ius conducendi ipsum,
aliasue conductus species, concludere licet a). Quod ut eo
cla-

a) Habeo hac in re quot- quot de hoc conductu aliquid
cont-



clarius fiat, id ex historia illius temporis paullo vberius explicare placet. Erant ea, quibus A. B. condita fuit tempora, ex nimia quae tunc in imperio obtinebat, diffidationum grassationumque licentia, turbulentissima. Inprimis hoc in interregno accidebat, vbi vti iam suo tempore inquit WIPPO: *quilibet potentissimus saecularium principum vi magis quam ingenio nitebatur aut fieri primus, aut quacunq; pactione a primo secundus.* Quare Electoribus ad electionis noui Imp. comitia proficentibus, grauissima semper imminebant pericula. Et eo maiora in posterum metuenda, quo magis eorundem comitatus in A. B. c. 1. §. 22. ad quinquaginta scilicet equites armatos, restrictus fuerat, cum antea integris plerumque agminibus ad conuentum electionis proficiscerentur *b*). Hanc ob causam igitur Carolus IV. Imp., cuius per integram A. B. praecipua cura fuit, Electionem Imp. quoad fieri posset in certo locandi, omnesque remoras eidem obiciendas remouendi, feruissimis poenis prohibuit; ne aliquis in posterum Electores ad locum futurae electionis proficiscentes quacunq; ratione laederet, sed e contrario sanxit atque cuilibet imperii membro grauissime iniunxit, vt, *per modum generalis imperio debitae sequelae*, quocunq; modo eos defenderet, atque omnem quam posset securitatem seu condu-

ctum commentati sunt, mecum con- c. 4. §. 47. LIMN. ad A. B. c. sentientes v. BOECLER in diff. 1. §. 1. obs. 11. REINKING de de cond. Elect. & eorum legat. regim. saecul. L. 1. cl. 5. c. 4. Arg. habita, in eius conjunctim n. 234. editis diff. acad. T. 2. p. 45. b) Vid. Ill. ab OHLENSCLASEGQ. ORTH de iure conduc. p. GER in der neuen Ertl. der G. 112. Ill. MOSER St. R. B. 2. B. §. 6. p. 11. seqq.



Etum exhiberet. Ita namque hocce *conductus officium in praef. A. B. c. 1. §. 2.* verbis: *statuimus insuper & mandamus vniuersis aliis Principibus -- nec non Comitibus, Baronibus, Militibus, Clientibus, Nobilibus, & Ignobilibus, ciuibus & communitatibus castrorum, ciuitatum & locorum S. I. vniuersis; omnibus & singulis imperii nostri ciuibus non tantum immediatis, sed etiam mediatis, vti modo dixi per modum pacis publicae generalis & edicti de auxilio ferendo, eius gemeinen Friedens und Huffs - Gebotts, pro cuiuscunqve viribus impositum fuit: Ac quae modo cit. c. 2. A. B. §. 10 seqq.* additur designatio conductorum, non tam intuitu iuris, quod cuique ad conducendum competerer, quam ex ratione itineris atque transitus, ab Electoribus in locum comitiorum eligendo Imp. habendorum proficiscentibus, obeundi, initur; cuius intuitu speciatim nominatis conductoribus, vniuersis imperii membris iam per antecedentia generaliter incumbens obligatio securitatis s. *conductus electoribus praestandi, vterius specialiter atque magis adhuc enixe inculcatur. Facile ex hucusque dictis id, quod statim ab initio innui, perspici poterit: non conductum illum formalem, qui iuris conducendi consequens est hic spectari, multoque minus ex conductu in A. B. praeepto ad ius conducendi argumentari posse. Ac si hac in re tam manifesta alicui dubium adhuc superesse possit, is attendat quaeso, quemadmodum cit. A. B. l. §. 12. Mogunt. ciuitas quae tamen semper mediata atque Electori Mog. subiecta fuit c) inter Electoris Treuirensis conductores*

c) Vti id inuictissime de- DENVS in *Cod. dipl. T. 1. p.*
monstratum dedere L. B. de GV- 583. *seqq.* & *T. 4. p. 475.*
seqq.



res nominetur. *Quare si exinde ad ius conducendi concludere vellemus, non huic tantum ciuitati municipali, sed omnibus omnino supra recensitis imperii membris, mediatis aequae ac immediatis, nobilibus ac ignobilibus id adscribere necesse esset; quod quam absurdum sit, nemo non videt. Cum e contrario si totam A. B. a capite ad calcem vsque peruestiges, vobis vestigiumue occurrat nullum, Imp. ius conducendi statibus imperii in vniuersum concedere, seque eo abdicare voluisse. Siquidem tam certum est quam quod certissimum, istis temporibus ius conducendi per vniuersum imperium ordinarie adhuc inter iura Imp. relatum fuisse, nec, nisi iis quibus speciali priuilegio, expresso tacitoque, obuenerit, competuisse. Probabo id infra §. II. vberius. In praesens sufficiat mihi quaedam tantum eiusdem Caroli IV. Imp. dipl. atque priuileg., paulo ante vel post A. B., data ipsissimis verbis id loquentia, adduxisse. In dipl. d. a. 1349. Carolus IV. ciuitati Nordhufanae, potestatem delinquentes in alieno territ. capiendi concedit d) verb: *auch tun wir den vorgeann-*
*ten**

seqq. ac L. B. de SENCKENBERG
medit. Fast. 3. m. 2. p. 474.
seqq.

d) Hodie quidem ob superterrit. iam in suo amplissimo complexo competentem, antiqua eiusmodi Imp. priuileg. aliquid ulterius operari minime poterunt, nisi quatenus iura in iis concessa perpetuo exercitio

ad Capitul. & Pac. Westph. vsque retenta fuerint. cfer. quae passim hanc in rem monet III. STRVBEN in den N. Sr.; add. ea quae III. GATZERTVS, *Vir omni laude mea maior, Praeceptor, qui vni in omnes, ita in me benef. suis plane insignibus, Patronus meus maximus extirrit, semper dum viuam gratissima mente*

6



ten burgern die besundere Gnad, daz sie ire Vriend, Rauber, und andere ueltrbaetige Leute, angriffen, fahen, und auffhalten moegen, mit vorbetribtem Mut, oder von Geschicht, in welches Herrn Land oder Gebiete das were &c. e) Eundem in modum simile priuileg. a. 1374. Sculteto suo Norimbergensi dedit f), vbi maxime notabile dicit; wir geben auch gewalt - daz unser Schultzeisz zu Nurnberg auf unser und des Reichs Strafzen, belayten und beschirmen soll und mag, alle die darauf reuten vmandeln oder geben, ohne alle Herrn Wiederrede, und vvo unser Schultzeisz schaedliche Leute, Rauber oder Brenner gevahrt vviird, den soll und mag er nachfolgen von unser und des Reichs wegen, und soll die halten und benoetigen mit Gewalt oder vwie er mag. Cui adiungas eiusdem mandatum ad Magistratum Norimberg. d. a. 1371., quo ei iniungit, vt conductum petentibus, eum det; von unser und des Reichs wegen g) Hocce Ius Imp. per Aduocatos suos prouinciales exercuisse, sed etiam in hos plerumque tantum minus potentiores assumptos fuisse infra §. 72. suo loco commonstrabo. Cum igitur hi haud raro viribus destituerentur, vt conductum cum effectu exhibere possent; praesertim turbulentis interregni temporibus, quibus plerumque etiam adhuc incertum esset, quisnam sub futuro Imp. aduocata prouinciali functurus esset: nemini vltorius mirum videbitur, quare Imp. noster Carolus IV., ita anxie subque tam duris poenis, conductum Elect. omnibus imperii mem-

C 2

et maximo honoris cultu prosequendus) hanc in rem in erudit. sua comm. de domin. Moeni §. 2. apposite scribit.

e) ap. LVNIG. in archiv. imp. per. Part. spec. Cont. 4. p. 67.

f) ap. LVNIG. l. c. p. 91.

g) ap. LVNIG. l. c. p. 171.




membris iniunxerit; nec de eo, quod supra adstruxi; a conductu hoc in A. B. praecepto *ad ius conducendi* ipsum minime valere consequentiam, vterius dubitare licebit. Qua in re, neque cogitanti, quam varie haec A. B. sanctione abuti quidam soleant, iusto longior fuisse videbor.

§. VI.

HODIE COND. CAROL. CESSAT, ET DN. CONDUCENDI IVRIS
ORDINARIUS REGVLARITER, ELECTORES QVOQVE AD
ELECT. CONDVCIT.

Quidquid interea etiam *conductus Carolinus* ex A. B. Elect. debitus, fuerit, is sane hodie, ob mutatas nunc plane status Germ. rationes, cessat. Id quod vel ex iis solummodo, quae §pho anteced. de eius natura atque indole la-rius dixi, patet. Postquam enim hodie imperium nostrum diuersissimam a tempore, quo A. B. condita fuit, faciem subiit, atque Pax imperii publ. melius stabilita fuit; is cui de reliquo ius conducendi competit, Elect. satis superque securitatis praestare poterit. Adeoque iam *cond. Elect.* eorumue legatorum ad comitia eligendo Rom. Reg. destinata proficiscentium, ex communis & consueti *cond. iur.* natura metiendus erit. Non igitur aliis iure *cond.* ceteroquin haud gaudentibus, vt Elect. Legatisue eorum, Francof. ad noui Imp. electionem tendentibus, *conductum* in A. B. quondam cuilibet imperii membro praeceptum, vt exhibeant, amplius licere crediderim. In quo & experientiam optimam docendi magistrum testem habeo. Certe Elect. per Wetter. Francof. proficiscentes, a Caroli V. abhinc temporibus, a solis *Ser. Hass. Landgr.*, vtpote per districtum hunc iure conducendi gaudentibus, *conducti fuere*; vti ex docum. fide dignissimis *perspectum* habeo.



habeo. Et magni quondam nominis Ictum MARQ. FREDERIVM, in *Lib. de tut. curaque testam. Elect. c. 12.*, rationes ita subministrantem: *Cond. Elect. ad comitia euntium tam accurate perscriptus pene totus in desuerudinem abiit; credo quia Pace publ. firmata melius, quam Bullae tempore, & securitate viarum vigente, conductu & custodia illa parum est opus; mecum inuenio, consentientem a)* Nec moueor quidquid contra hunc BOECLER in *Cond. suo Carolino circa f.*, & ORTH de iur. *cond. c. 4. p. 116.* disputent. Quibus ex haecenus dictis abunde responderi poterit. Licet ego quidem concesserim hanc A. B. sanctionem, quatenus prohibetur; ne quis Elect. eorumue legatos ad elect. Reg. Rom. proficiscentes, quacunque iniuria damnoue afficiat, etiamnum hodie obtinere.

§. VII.

RELIQVAE CONDVCTVS SPECIES REMISSIVE.

Quandoquidem reipublicae flos atque salus a commercii praecipue dependeat, mercatorum securitati etiam maiores nostri, quibus salus reipublicae cordi fuit, enixissime semper prouiderunt a). Testantur id variae conuentio-


C 3

num

a) Add. III. MOSER in *St. Recht B. 2. L. 4. §. 47. S. 353.* aliique.

a) Erant quippe quondam, ac seculis inprimis 14. & 15., commercia per Germaniam florētissima. Germani fere soli in regionibus septentrionalibus

mercabantur. Inde ciuitates diuitiis affluebant. FVGGERI nunc Illustrissimi S. R. I. Comes ex immensis mercatu quaesitis diuitiis, totius Europae personae priuatae, ditissimae habebantur. Sed flos ille commerciorum Germanicorum



num de pace prouinciali quondam initarum, etiamnum
super-

corum patefactis indiis, alias-
que ob causas, decidit. Belgii
incolis istas merces iam per
vniuersam Europam nundinan-
tibus. Non deficiunt quidem
etiamnum commercia in Ger-
mania. Sed hodie non nisi
damno nostro mercamur. Id
quod iam suo tempore questus
est LVTHERVS. Degeneres a
parcis maiorum nostrorum mo-
ribus, crepundia atque instru-
menta voluptatis a Gallis pro-
parata nostra pecunia emimus.
Certe quoties infinita auri ar-
gentique pondera, quae quis
haud ita pridem infallibili cal-
culo ad decem miliones per an-
num computauit, pro folis fa-
bis indicis quotannis prodigen-
da, cogito; Germaniae vicem
breui, ni prouideatur, in peius
casuram doleo. Tum non
mens mea certa manet loco.
Iam omnes luxu tabescimus.
*Non his inuenus orta parentibus
vicit Romanos, vicit Itallam, &
vniuersam Europam terruit armis.*

Sane cum Horatio iam queri li-
cet

*Damnosa quid non imminuit
dies,*

*Aetas parentum peior auis,
tulit*

*Nos nequiores, mox daturos
progeniem vitiosorem.*

Saepe miror, cur Gallos pro-
priis nostris viribus bella nobis
inferre patiamur; cur lex illa
sumtuaria ab inuicissimo quon-
dam Heroe, Electore Branden-
burgico FRIDERICO GVILIELMO,
iam olim in publicis imperii co-
mitiis proposita, hucusque per-
lata fuerit neutiquam. Si quid
in hac re sperandum, certe
sub Gloriosissimo Imp. IOSE-
PHO II., qui


*Serus in coelum redeat, diu,
que*

*Lactus intersit populo Germa-
no;*

*Neue quem nostris viriis ini-
quum*

Ocyor aura

*Tollat; hic magnos potius
triumphos,*



superstitēs tabulae b) Quare facile est adconiiciendum, mercatores semper inprimis conductos fuisse, eorumque conductum vbiq̄ue primas tenuisse. Praeter mercatores conducuntur quoque iudaei, inde *conductus iudaeorum*. Mortuis de loco in locum transuehendis, conductus datur, qui audit *conductus demortuorum*; toto coelo a *conductu scripto*, qui etiam *mortuus* dicitur differens. *Milites, captiui, zingari &c.*, transeuntes conducendi sunt. Sed huic rei diutius immorari nolo. Cum tot diuersae conductus species fingi queant, quot sunt variae conducendorum personae; quae tamen, intuitu iurium atque obligationum, nullam pariant differentiam. Hoc tantum adhuc monere visum; *mercatoribus, aliusue personis priuatis, alibi hodie eonductum specialem non nisi petentibus dari solere, alibi etiamnum hodie mercatores ad mundinas proficiscentes pro eo c) aliquid soluere tenentur, principes magnatesque proficiscentes*

Hic amet dici pater atque Princeps

sperandum est. Sed cum id profecto difficillimum, ob diuersissimas singularum rerumpubl. Germ. rationes, quas tamen omnes, quantaecunq̄ue etiam fuerint, merito patriae amor vincere deberet, vt saltem in quolibet territorio a principe huic malo interim prouideretur, optandum esset. Lectores hanc digressionem, ad quam me

patriae amor longius abrepsit, benigne condonatuos spero.

b) ap. L. B. de GVDENVS in *Codice diplom. T. 4. p. 54. seqq. & pag. 39. seqq.*

c) Olim mercatores fere vbiq̄ue pro conductu certam pecuniam soluere tenebantur. Et Leges imperii quas infra §. 11. adducturus sum, diserte probant Dominum iuris conducendi, vt aliquid pro conductu in compensationem maximam hunc



centes, etiam non petentes, ex communi imperii, more conducere solent. d) Iudaeis ubique per uniuersum imperium ab eo, qui habet ius conducendi, conductus impetrandus, atque pro eo guidagium soluendum est e). Milites, captiui, mortui f) zingari, & huius generis personae aliae, quorum iuxta leges moresque imperii non est sine conductu securitas, ubique conducendi. g) Denique nec hoc praetermittendum, saluum illum conductum, qui delinquentibus ad praetensam suam innocentiam

hunc in finem erogandarum expensarum, exigere queat, fundatam habere intentionem. Sed haec pecuniae iam olim multis nimis graues videbantur. Ita a. 1348. ciuitas Hannoverana, ne ciues eius conductum scriptum sumere tenerentur impetrauit priuilegium ap. III. MOSERVM in den diplom. und hist. Belust. T. V. p. 317. Aequali priuilegio urbs Moguntina quondam gauisa fuit. Vid. I. B. de SENCKENBERG select. Tom. 2. p. 165. In Hassia mercatores Saxones demum sub Ludouico seniore Landgrauio, ex mera gratia, ne ulterius aliquid pro conductu soluerent impetrarunt. In comitatu superiori Catimelibocensi uero etiamnum hodie pecuniam conductitiam soluere tenentur.


Add. Conf. ORTH. von den R. Messen. §. 76. p. 128. seqq.

d) Vid. a SECKENDORF im Teutschen Fürsten-Staat ex noua & multum praestantiori BIECHLINGII edit. 3. Th. C. 3. S. 3. §. 1. p. 421.

e) Vid. Laud. Heilbronens. in caus. Wildfang. Telson. & conduct. ao. 1667. promulgatum.

f) De mortuis speciatim cfer. de LVDEWIG ad A. B. part. 1. p. 86. seq. ubi satis lepida responsio praefecti venatorii, paracho nimis aare intuitu mortui transuehendi iura stolae postularis, data, exhibetur.

g) Vid. HERT. in tr. de superior. territ. §. 22. Opuscul. Vol. I. T. 2. p. 243. seqq.



tiam in iudicio deducendam, sicut etiam litteras motorias, quae quandoque etiam saluus conductus nomine appellantur, huius loci plane non esse. Cum illum quilibet iudex inferior, qui iurisdictione criminali gaudet, impertire queat, b) has vero dandi ius, inter reservata Imperatoria etiamnum referatur. Interim hoc certum quod si quis ab eo, qui ius conducendi habet, conducatur, ob debita civilia arrestari nequeat. i). At contra delicta conductus securitatem haud praestat. k) Licet de reliquo non nisi ab eo, qui iure conducendi gaudet, captivus reddi queat. Quod vel ex eo solo patet, quia alias dominus conductus, securitatem cum effectu exhibere haud posset.

§. VIII.

IVS CONDUCENDI GENERALITER CONSIDERATVM, PERTINET AD REGALIA, ET ORDINARIE IMPERANTI IN REPUBLICA COMPETIT, POTEST TAMEN ETIAM ALII COMPETERE.


Vidimus hucusque ius conducendi in quonam consistat,

b) MULLER *Reichstags-Theater unter Kayser Friderico, 1te Vorstellung cap. 7. §. 29.* PETRVS HEIGIVS (acris iudicii ICtus, qui per plures valde notabiles quaestiones eleganter tractat) *Quaest. iur. civil. & Sax. Part. 2. q. 22. n. 41.*

i) Probat hoc dipl: HENRICI Hass. Landgr. d. a. 1370., quo Allendorffios variis privilegiis ac imprimis mer-

catu hebdomadario donat: also *uwer zu dem Marcke komt — der fall — vor Schulde und vor Burge alles kummers und aller ussenthaltung frey seyn, es wver dem das ymand die Freyheit brech,* add. dipl. Ludouic. pacif. d. a. 1442. ap. KVCHENBECK. *anal. Hass. coll. 2. p. 278.*


k) Vid. dipl. KVCHENBECK. *not. praeced. 1. cit.*



stat, atque praecipuas eius species considerauimus; disquiramus nunc etiam cuiusnam, quaeue fundamentum, hocce ius competat. Consideremus id primo secundum iurisprudentiam vniuersalem, ad hanc illamue rempublicam non habito respectu. Definiamus eam in rem primo, quid sit *maiestas*, & quatenam dicantur *regalia*. *Supremum ciuitatem regendi ius maiestatem* appello. *Varia quae id sub se complectitur iura specialia, tanquam media ciuitatis fini obtinendo inferuentia, iurium maiestaticorum, seu quod idem est regalium maiorum, nomine mihi veniunt.* Minora *regalia* vocantur *iura imperanti qua tali, & originarie quidem priuatiue, competentia, quae tamen ex ipsa notione maiestatis per se haud competunt.* Notio generalis *regalium* erit, quod sint *iura Imperanti qua tali, originarie priuatiue a), competentia.* *Regalium naturali complexu ergo maiestas absoluetur.* Naturalem voco, qui regulariter adesse praesumitur. Eodem modo quo in contractibus determinationes, in essentiales, naturales, & accidentales distingui solent. Cum in republica nil omnino magis quaeratur, quam ut ab aliorum iniuriis tuti degere queamus, nec quisquam

a) Id regalium, ab aliis imperanti etiam qua tali competentibus iuribus, v. c. domini in bonis domanialibus, constituit differentiam specificam. Nec si hoc vocabulum demas definitio absoluta erit. Varias iam decidere possumus controuersias alias disputari solitas,

Sic memini aliquando quaesitum, siluae num pertineant ad regalia? Ad maiora haud referenda quilibet perspicit. Nec etiam ordinarie ad minora, nisi in regione quadam subditi regulariter nullis gaudeant. Id quod accidit in comitatu Wittgensteinensi.



quam, quin *ius conducendi ad regalia maiora regulariter referendum sit*, dubitabit. Spectabit ergo, ut cetera regalia omnia, ordinarie ad imperantem in republica *b)* — . At regalia in aliena ciuitate competere posse, & saepiuscule actu competere, vel me non monente cuiuslibet notum est. Iura haec ita in aliena ciuitate competentia vulgo nomine *seruitutum iuris publici* venire solent. *c)* Quenam haec sint regalia, iam in praesens per singulas species eundo *d)* discutiendi, nec est locus, nec tempus. Forfan ea erunt, quae non adeo proxime ad ciuitatis finem obtinendum absolute necessaria sunt. Sufficit mihi, quod inter omnes constet ius conducendi huc potissimum referendum esse. Hoc enim alteri in ciuitate aliena competens, huic prodesse, obesse certe potest neququam. Quamuis enim iure conducendi in aliena ciuitate competente, *imperans peregrinantes manu militari conducere nequeat*, attamen ideo ius latrones & facinorosos e republica eliminandi, vi imperii ciuilibus competens, minime excluditur. Porius cum per conducendi ius, praesertim si uti plerumque, potentiori competat, peregrinantium & cuiuslibet securitati vberime prospiciatur, maximum in illam ipsam qua competit rempublicam, commodum redundabit.

D 2


§. IX.

b) In republica regulari, vbi vni omnia maiestatis iura competunt, pauculum de hoc iure audietur. Ibi disciplina reipublicae satis cuiuslibet securitatis praestabit.

c) Nomine e iure priuato adscito. Scripsit de iis bonae

frugis tractatum CHRISTOPHORS CONRADVS ENGELBRECHT Lips. a. 1739. cum praesat. Icti Elegantiss. BVDERI recusum, cum cautione tamen quandoque legendum.

d) Id fecit ENGELBRECHTVS cit. tr. Sect. 2. & 3.



§. IX.

HABITVS ET ORIGO IVRIS CONDVCENDI IN GERMANIA. AT-
QVE PRIMO QVIDEM SVPERIORITATIS TERRITORIALIS NOTIO
EXPENDITVR.

Sed properandum nunc est, vt quod potissimum hic propositum erat, habitum iuris conducendi in Germania consideremus. Hoc vt eo melius fieri queat, superioritatem territorialem, eiusque in Germania originem, prius explicare haud abs re futurum esse spero. Habemus in Germania regimen quoddam vniuersale, cui Imperator cum statibus in comitiis congregatis praeest. Verum habemus etiam varia vniuersali huic, subordinata imperia, vi quorum status in territoriis suis ad instar summorum imperantium moderantur atque gubernant. Ius illud fere regium *superioritatis territorialis* nomine venire solet. *Quae itaque in naturali, iure proprio, & ex ipsa reipublicae forma, cuiuslibet territorii immediati possessori eo ipso competente, summo Germaniae imperio tamen subordinato, iurium regalium complexu consistit, nisi quatenus ex LL. imperii fundamentalibus, obseruantiaque differentia demonstrari possit a).* Duo ad superioritatem territorialem inprimis requiro. 1) Vt proprio iure competat. Nam Vice Reges, praefecti, vicarii, etiam iura regalia habere possunt, & habent. At habent ea ex gratia imperantis. Hic ea pro lubitu illis adimere, hic actus eorum irritos declarare, eosque concurrenter cum iis exercere potest. 2) Vt naturalis sit ille regalium complexus, & ex ipsa reipublicae for-

a) Quoad essentialia cum illa, quam HERTIVS *in tr. de hac mea definitione conuenit superior. terris. §. 3. exhibuit.*

forma competens. Gaudent sc. hodie territorii immediati possessores, eo ipso quod hoc possideant *b)*, omnibus omnino iuribus sic dictis regalibus, adeo ut nec ab Imperatore in iis exercendis impediri, vel quousque modum LL. imperii, & pacta cum statibus prouincialibus seruant, de iis exercendis rationem reddere teneantur, nisi quatenus obseruantia vel forma imperii nostri exceptionem pariat: Atque ad hoc respiciendum, si in vniuersum de superioritate territoriali, eiusque origine, quaeratur. *c)* Longa alia ratio est regalium non vi superioritatis territorialis, territorio immediato adhaerentis, sed specialium privilegiorum atque obseruantiae competentium. Posset aliquis titulis singularibus regalia fere singula, adeoque complexum hunc regalium, qui nunc vi iuris territorialis exercetur acquirisse,


D 3

fuisse,

b) Hodie superioritas territorii immediato cohaeret, ac ex ipsis LL. imperii cullibet huius possessori competit ceter SCHILTER *instr. iur. publ. Lib. I. Tit. 24. §. 2.* SCHMAVSS. *in comp. iur. publ. L. 3. c. 2. §. 6.* SCHWEDER *instr. iur. publ. Part. Spec. Sect. 2. cap. 10. §. 13.* aliique.

c) Egregie hanc in rem Ill. STRVBEN *in relar. Goetting. Fasc. 2. 4. 1753.* de Doct. HANSELMANNI *diplom. Beweifs der Landeshoheit des Hausses Ho-*

Hohenlohe vor dem grossen interregno &c. (Nurnberg 1751.) iudicium laturus scripsit. Nemo ignorat illustrem controuersiam, quae exinde inter duos hosce viros eruditissimos orta fuit. HANSELM. hancce relationem refutaturus *ao. 1757.* *weiter erleute Landeshoheit des Hausses Hohenlohe vor dem interregno* fol. edidit. Cui tamen uti etiam qui nouissime huic controuersiae accessit SATTLERO *Illustr. STRVBEN in den N. St. P. 3. p. 1. seqq. P. 6. p. 125. seqq.* abunde satisfecit.



fuiffe, exinde tamen ad superioritatem illam quam supra definiui omnium statuum generaliter argumentari haud liceret. Sed ut in sequentibus distinctius procedere valeamus, eiusmodi *regalium complexum* contingentem, privilegii atque obseruantia quaesitum, nec ex ipsa territorii immediati possessione & reipublicae forma competentem, superioritatis territorialis materialis nomine insignire placet. Illam quam supra definiui adiecto vocabulo *formalis* ab eadem distincturi.

§. X.

GENVINA SUPERIORITATIS TERRITORIALIS ORIGO.

Postquam hanc superioritatis territorialis notionem effinximus, haud erit difficile ortum eius atque complementum distincte ante oculos ponere. In ea quaerenda non cum personato illo CAESARINO EVRSTNERIO *a*) ad Carolingorum Merouaeacumque tempora ascendam. Nec illam cum quibusdam in interitu stirpis Carolingicae, temporibus haece proximis ponam. Sane quousque status ditiones hereditario iure nondum possiderint; id quod demum post Henrici IV. atque V. Imperatorum tempora accidit *b*); quousque tantum iure magistratuum iisdem

prae-

a) GODOFREDO scilicet GUILIELMO LEIBNITIO in *tr. de futur. prematu. cap. 14. seqq.* Cui refutando iam alii operam suam, & imprimis B. HERTIVS in *tr. de origine & progr. spec. rerump. §. 25. collocarunt.*

perii *P. 3. §. 5. seqq. p. 19. seqq.* iuncto GVNTHERO in LGVRINO *Lib. 1. v. 765. & lib. 2. v. 55. ap. REVBERVVM ex edit. IOANNIS p. 488. & OTTONE FRISINGENSI in hiflor. FRIDERICI I. lib. 2. cap. 28. ap. VRSTISIVM scriptor. rer. Germ. T. I. p. 465.*

b) Vid. HAHN in *hiflor. im-*

praecessent: nemo superioritatem hodiernam quaeret. Non nego competiisse statibus ab antiquissimis temporibus sat ampla iura. Transeo, quod hinc a primordiis imperii nostri, in negotiis momentum ferentibus, consultandi prius fuerint, cum hoc magis ad personam, quam territorium relationem habuerit. Concedo quod in terris eorum propriis, eximiis ab omni tempore gauisi sint iuribus. At longissime tamen abest, quin superioritas territorialis hodierna exinde iis adscribi queat, non magis ac statibus prouincialibus singularibus quandoque praeminentis atque iuribus fruentibus c).

Verum cum status ius hereditarium in terris suis adepti, priuilegiis Imp. vsu, atque obseruantia, regalia sensim sensimque acquirerent, id quod magni, vt dicitur, interregni temporibus, inprimis accidit, proprioque iure possiderent, concurrentemque Imp. potestatem excluderent, sensim sensimque superioritas territorialis primum materialis tantum, sese efformauit. *Vsque dum firmato illis atque tributo per Capitulationes, & Pacem Westphalicam inprimis d), iurium regalium complexu, superioritatem territorialem formalem, ius illud regio aemulum adepti fuerint e).*


Quau-

c) Exinde decidenda controuersia, quae alias inter Dres super civit, imperialibus falso sic dictis mixtis, intercedere solet. Quae verae sunt ciuitates prouinciales cfer III. STRVBEN von den Hobeits-Rechten mittelbayer Stadte in den 1. Th. der N. St. p. 495. seqq.

d) Auctor medit. ad Instrum. Pac. Osnabr. Art. 8. §. 1. ab initio, OBRECHT ad loc. eundem. SAM, a PVEFFENDORF de rebus Suedicis lib. 10. §. 113.

e) Ea quae de superioritatis territorialis origine, in hoc §. proposui, praeter III. STRVBEN

NIVM



Quando etiam Georgius Saxoniae dux dixisse perhibetur,

NIVM confirmat quoque egregie SCHILTERVS in *Instit. ius publ. T. I. L. I. Tit. 24. §. 6.* Quamvis autem superioritas territorialis formalis generaliter tam seram originem habeat, longe tamen aliter sese res habet intuitu superioritatis territorialis materialis. Profecto Ducum, Landgravorum, ceterorumque eiusmodi integrae provinciae praepositorum statuum, superioritas territorialis materialis antiquissima est, & multo vetustiore illa ecclesiasticorum, civitatum, aliorumque his similium, originem habet. Illis enim integrae provinciae regendae commissae, in quibus & omnia regiminis iura exercebant. Exercebant quidem ea ab initio vicario nomine, sed cum deinde potestates eorundem hereditariae fierent, retinuerunt ea, atque vel eo ipso integram superioritatem territorialem habuerunt. At longe aliter sese res ratione postero-


rum habuit. His enim praesumptumque certa tantum & determinata iura competere, & vel dominium solummodo privatum. Reliqua Imperatores per advocatos suos provinciales atque urbicos exercebant. Quare hi singula regalia antequam superior, illa formalis obtinuisset, prius, impetrare necessum habuere. Quamobrem haud raro etiam contigit, ut Imperatores regalia, aliis, praeter ditiorum dominos, in alieno territorio concesserint. Diversissimam formam Ducatum Landgraviatum &c., fuisse eorumque possessores a magno retro tempore, complexu quodam regalium gaudios fuisse, modo innui. *Dicitur hoc imprimis de Langraviatu Hassiae Thuringiaeque meretur.* Ita enim a LUDOVICO Thuringiae Hassiaeque Landgr. in privilegio religiosis suis in Lupoldesberg a. 1227. concessit, eorum praedia in quocumque locorum fuerint sita, sub me



ur, er waere in seinem Land selbstn Kayser Papst und
E Teutsch-

Et meis terminis libera declarantur. Idem in dipl. d. a. 1225. asserit: in terris in quibus ius & potestatem habemus, per omnes terras & fora iurisdictioni nostrae subdita. In codice probat deduct. Hasslo - Darmstadt, contra ordinem Teut. d. a. 1752. p. 2. & 21. Integrum hoc vltimum diploma quoque exhibuit Illustr. ESTOR in originibus iur. publ. Hass. §. 38. p. 91. seqq. CONRADVS LANDGR. in dipl. d. a. 1232. Cappelensi monasterio dato, Hassiam comeciam suam; (quid haec inuoluerit & quam late patuerit, in Sect. altera, quae ius conducendi Serenissimorum Hassiae principum per Wetterauiam explicabit, yberius disseram) & capellense monasterium in territorio suo situm, asserit: apud HARTMANN in histor. Hass. part. I. capi 6. §. 47. HENRICVS LANDGR. in dipl. d. a. 1244. coenobio Arnburg foueas ferri in Engelshausen perpetuo tradit

possidendas, ap. Ill. ESTOR in Elect. iur. publ. Hass. §. 182. not. 6. OTTO Langr. a. 1317. Oppido Castellarum stapulae ius contra Mindenses concessit ap. KVCHENBECKER anal. Hass. collect. 4. p. 268. Idem Landgr. oppido nouo Giessensi a. 1325. ius ciuitatis dedit, chartam habet KVCHENB. an. Hass. T. 2. p. 268. Ius nundinarum Francobergae a. 1368. impertiuit. HEINRICVS LANDGRAVIUS; Tabulam V. ap. KVCHENBECKER anal. Hass. T. 5. p. 202. Add. dipl. LVDOVICI pacif. Hass. Landgr. d. a. 1442. quo Giess. duae nundinae per integrum hebdoma duraturae concessae fuere, omnibusque ad eas venientibus conductus promissus ap. KVCHENB. an. Hass. coll. 2. p. 278. add. supra §. 7. not. k. Si hac in re demonstranda copiosus esse vellem, quod vel iam haud sciens fui, innumera exempla huc coaccruare possem. Sed actum agerem, cum id in deduct. Hasslo Darm-



Teutschmeister f). Quo etiam referas quondam vsitatum cano-

Darmstadt. quae contra com. Schiffenb. a. 1752. & imprimis ea quae ulterius a. 1755. prodit, (contra quam hucusque nil reponi potuit,) §. 59. seqq. iam ex abundantia praestitum fuerit. Certe Imppp. in Hassia Thuringiaque tam optima praedia, ut quidem alias in reliquis Germaniae prouinciis minime habuere. FRIDERICVS I. Imper. ut capellano in castro imperio Bommeneburg salarium augeter, debuit praedia a Ludouico Thuring. Hassiaeque Landgrauio emere. Testante diplomate d. a 1188. ap. III. ESTOR orig. iur. publ. Hass. §. 66. not. g. — Multo minus igitur haec, quae de nouiori superioritatis territorialis formalis origine posui, Landsassiatum utpote constitutioni Germaniae coaetuum tollent Duces, Landgrauii, & haud raro etiam comites cfer. SENCKENBERG in praesat. ad Tom. 6. select. iur. & histor. p. 14. seqq., integrae prouinciae &

singulis, in ea degentibus personis cuiuscunque ordinis tam ecclesiasticis, quam saecularibus proponebantur. Possent id per singulas Germaniae prouincias eundo copiose demonstrare, nisi & historiam patriam amanti iam per se notum, & a themate meo nimis alienum foret. De *Thur. & Hass.* nostra id amplissime demonstratum dedere. — Paulinus annal. Iesenac. §. 24. ALBINVS in chronico. Misnensi §. 411. SPANGENBERG in chronico. Mansfeld cap. 219. & auctor fecialis Europaei L. I. p. 214. V. tamen imprimis deduct. Hass. modo memoratae. — Immo etiam cum status prouincias adhuc vicario & renouabili iure possiderent, landsassiatum tantus nunc, immo maior fuit. Ita quondam Ducibus Bauariae episcopi, qui nunc inter primarios imperii nostri status referuntur, (notes etiam hic landsassiatum quondam iuri status non ita absolute solu-

canonem: Itatus tantum posse in territorio, quantum Imperator in imperio, sed non vna limitatione circumscribendum --- . Quare hodie staus eo ipso, quod territorii immediati possessores g), omnibus & singulis cuiuscunque generis regalibus maioribus aequae atque minoribus gaudent. Nisi vel quatenus eius regimini vniuersali subor-

E 2

solute repugnasse) subiecti fuerunt. HENRICVS Boiorum Dux Ottonis M. Frater, Patriarcham Aquileiensem castrari, & Archiepiscopum Saltzburgensem excoecari praecepit. Eodem modo sese res fere in plerisque reliquis Germaniae prouinciis habuit. Id quod vltimius docere ab hoc loco alienum est.

f) ap. STRYK de iure papali principum euangelicorum cap. I. §. 10.

g) Moteri alias sed sine vlla ratione controuersia, solet superioritas territorialis vtrum allodialis, an feudalis sit. Antiquissime eam disquirunt ENGELBRECHT in tr. de seruit. iur. publ. Sect. 2. membr. 3. §. 1. & demum concludit eam quandoque allodiale quandoque feudalem esse posse. Ex hacten-

tis dictis facillime ad eam responderi potest. Cum enim hodie superior. territor. cuiuslibet territor. immed. cohaereat v. not. b. §. anteced.; sequitur territorii conditionem. Et cum status iam generali regalium complexu ex ipsis LL. imperii gaudeant; antiquae eiusmodi investiturarum litterae, quibus hoc vel illud regale, minerarum, banni sanguinis, serui, &c. ab Imp. ditionis domino quondam concessa & in feudum data fuerant; ditione tamen ipsa nilominus allodiali permanente, hodie amplius effectum habere haud poterunt. Adeoque casu aperturae feudi forsan existente Imperator vel is cui forsan nouioribus temporibus expectatiua concessa fuerit, haecce regalia sibi minus recte vindicabunt.




subordinatio, vel imperii nostri LL. fundamentales, vel obseruantia exceptionem constituat; ac quatenus non aliis ante superioritatis territorialis formalis originem hoc illudue regale ius obuenerit, hique longo usu id ad Pacem vsque Westph. exercuerint. Qui enim statuum, in regalium priuilegiis longoque usu in aliena ditione acquisite, continua ad Pacem vsque Westph. possessione fuerint, iis haec per eandem non minus ac territorii Dominis reliqua sua regalia iura, verbis: h) omnes & singuli, Electores, Principes, & status imperii romani, in antiquis suis iuribus, praerogatiuis, libertate, priuilegijs, libero iuris territorialis tam in ecclesiasticis quam politicis exercitio, ditionibus, regalibus horumque possessione ita stabiliti firmitaque sunt, ut a nullo vnquam sub quocunque praetextu de facto turbari possint vel debeant, in perpetuum confirmata sunt. Vbi sane & inprimis sub vocabulo *regalibus* iura ab antiquo in aliena ditione competentia; siquidem regalia in propria ditione exercenda verbis immediate antecedentibus: *libero iuris territorialis tam in ecclesiasticis quam politicis exercitio*, iam intelligantur, non possunt non comprehendi.

§. XI.

IVS CONDUCENDI QVONDAM ORDINARIAE AD SOLOS IMPER. SPECTAVIT.

Quamuis autem status in ditionibus suis, vti sp̄ho antec. dixi, insignibus iuribus semper gauisi fuerint; attamen ius conducendi rarius iisdem contigit. Non iam mihi fermo est de iis statibus quibus integrae prouinciae regendae commissae fuerunt, de Ducibus, de Landgrauibus


b) Instrum. pac. Osnabr. Art. VIII. §. 1. & §. 4.



uiis ceterisque his similibus, quibus & ideo securitatem publicam in suo territorio defendendi atque peregrinantibus conductum dandi, & ius, & obligatio incumberebat. a) Loquor de ditionum minorum possessoribus, de ecclesiasticis, de ciuitatibus, aliisque quibus regimen prouinciae haud competeret. His ius conduceudi non aliter, quam si iis concessionibus Impp. specialibus obtigisset, permisum fuisse, affirmo. Innuit hoc non modo A. B. FRIDERICI II. ao. 1232. b) in gratiam libertatis s. r. i. PRINCIPVM indulta vbi §. 14. Imp. promittit: *item conductum Principum per territoria eorum, quem de manu nostra tenent in feodo, vel per nos vel per nostros non impediemus aut infringi patiemur.* Loquitur sicut Pax imperii publica FRIDERICI II. Imp. c) d. a. 1236. c. 9. §. 3.: *vuir verbieten och by unsern bulden, dasz niemant den andern durch das Land beleyten soll um kein Geld, es babe das geleyte vom Riche.* Quae iisdem verbis in RVDOLPHI REGIS ROM. confirmatione de ao. 1281. huius pac. publ. d), nec non in EIVSDEM Pace imp. publ. Herbipoli a. 1287. sancita e), reperuntur. Et eundem

E 3

- a) Vid. Ill. ab OHLENSCHLAGER in der Erl. der G. B. §. 45 p. 164. Ex nexu, quo olim omnes in prouincia, cui Dux Landgr. &c. praepositus erat, degentes cum hac erant, qui vero successu temporis occulto euauit, deriuandum etiam haud raro illorum in ditionibus minoribus adhuc competens conduceudi ius. V. BOEHMER in iur. Publ. uniu. L. I. c. 4. §. 9. not. o. p. 237.
- b) ap. de LVDEWIG reliq. manuscript. T. 7. p. 517.
- c) ap. SCHILTER in Thes. antiq. Teut. T. 2. in app. p. 5.
- d) In noua edit. corp. Rec. d. a. 1747. P. I. p. 32.
- e) In cit. edit. corp. Rec. P. I. p. 35.



dem in modum Pax. publ. ALBERTI I. REG. ROM. a. 1303. Norimb. renovata statuit. f) Apprime in hanc rem scripsit Doct. HANSELMMANN. in dipl. Beweis von der Landeshebeit des Hausses Hobenlobe vor dem interregno §. 135.: Die Obsorge die allgemeine Sicherheit zu handhaben, und sonderlich reissende auf oeffentlichen Land und Heerstrassen fur Gewalt und Rauber zu schutzen, und solchen benoetigten falls ein sicher geleyt zu geben, ist vor Zeiten nur allein den Kaysern zukommen, so das vvenn bey Verleybung eines territorii, das ins conducendi cum reliquis viarum publicarum iuribus nicht zugleich von dem Kayser mit verliehen worden; solches in dubio dem Kayser und dem Reich reservirt geblieben g) Atque hoc etiam sequioribus & adhuc Caroli IV. Imp. temporibus obtinuit. Dipl. quae supra §. 5. exhibui de eo quemquam dubitare plane non patiuntur. Hic id pro opera supererogationis vltierius confirmaturus, quaedam eiusdem Caroli IV. Imp. expressis verbis id loquentia dipl. adiciam. In dipl. d. a. 1356. quo praedictus Imp. Carolus IV. vicum gaudern (gedern in vicinia nostra) iure ciuitatis & mercatu hebdomadario donat, expresse id innuit verbis: h) und vvir vvolten, vver auf demselben Marckte mit seiner Kaufmanschatze feret, zebet, oder denselben Marckte suchet, der sal von dar und vvidder von dannen in unsme und des Richs Geleit und Schirme sicher sein. Eodem modo sonat priuil. eiusdem Imp. de iure ciuitatis, muniendi, mercatus, & altae iurisd. pro pago SCHOTTEN. Conr. Herm. de TRYMPERG & Godf. de EP-

PEN-


f) Corp. rec. imp. l. c. p. 40. h) ap. L. B. de SENCKEN-
g) Add. Consult. ORTH in BERG select. T. I. p. 237. seqq.
tr. von den R. Meissen §. 48. S. 81.

PENSTSEIN *i*) a. 1356. datum verb.: *dass alle die Lute die den egenannten Wochenmarckte suchent, die sollen dar und dann fridde und geleyde haben von unser und des Rychs wwegen. Nec fere aliter res sub imperio Sigismundi sese habuit. Testantur id litterae patentes Sigismundi Imp. d. a. 1422. k*), quibus Conradum archipraef. Mog. in suum & imperii vicarium cum potestate amplissima renunciat, *ibi: und vvir (loquitur Imp. de se ipso) Sicherheit der Strassen machen, Rauberey und andere ungerechte dinge trennen, und unsern und des Reichs unterthanen friede und gemach bestellen. Quamobrem Dynastae terrarum alias mere allodialium possessores, haud raro specialibus Impp. priuilegiis, vt conductu inuestirentur, impetrarunt. Ita namque Illmi LIMBURGII comites, quorum familiam Volrathus gentis suae vltimus ao. 1713. clausit, terrae alias mere allodialis possessores; mit dem Geleit ob Minckheim und zu Geislingen; inuestiti fuere. l*) Pariter Comites WOLFSTEINENSES, quorum terrae aequae maximam partem allodiales fuere, vti acta coram iudicio imperiali aulico ventilata docent *m*) mit dem Geleit inuestiti fuere, HENRICVS Comes Lutzelsteinensis bona sua allodialia in feudum offerens, in additamentum quoddam simul cum iure conducendi inuestitus fuit *n*) Illustrissimi quondam

i) ap. L. B. de SENCKENBERG l. c. T. 2. p. 643. seqq. *SERI Reichshofr. Concl. P. 3. p. 516.*

k) ap. L. B. de GVDENVY in Codic. dipl. *m*) cfer. iterum FABRI Sr. Cantzeley T. 61. p. 632. seqq.

l) cfer. *Deduct. die Separation der Limburg. Reichsleben von dem allodio betreffend in FABRI Sr. Cantzeley P. 18. C. I. MO-* *n*) ap. Ill. OHELENSCHLAGERVM in der Erl. der G. B. in app. docum. n. 25. p. 70. seqq.



comites Hanouio Lichtenberg., terrae alias maximam partem allodialis possessores, conductu in via versus Brabantiam tendente inuestiti fuere. o) Exercuere Imp. ius conducendi sicut reliqua in statuum ditionibus adhuc competentia iura, per aduocatos suos prouinciales, quorum officium temporaneum erat & a bene placito Imp. dependebat. p) Quemadmodum vero hoc abunde iam demonstrauit Ill. atque generosus Dnus ANDREAS PETERVS ab HESSE q) nunc *Ser. Hass. Princ.*, qui sedem tenet Darmst. administer status primarius; ita huic rei probandae diu immorari nolo, vnicum saltem Sigismundi Imper. dipl. d. a. 1414. r) quo Iohanni Archiep. Mog. aduocatum Wetteraviae confert, ipsissimis verbis hoc loquens, adducturus.

§. XII.

IVS CONDUCENDI EXPRESSIS TACITISQVE IMP. CONCESSIONIBVS STATIBVS, SED FERÉ POTENTIORIBVS PLERVMQVE TANTVM, OBEVIT.

Erant aduocati prouinciales quousque Imp. feruerrimis legibus a) securitati viarum publicarum prospicerent,

o) v. Ill. SENCKENBERG *fel. T. 5. p. 574. add. Ill. ESTOR in der deutsch. Rechtsgel. 2. th. §. 507.*

p) vid. BERNHARD. *amig. Wetter. L. 3. c. 3. cum seqq.*

q) *In eximio suo rr. de super.*

territor. Sereniss. Hass. Landgr. in Wetzelar competente C. 1. §. 4. r) Exhibetur ab L. B. de GVDENVS Cod. dipl. T. I. p. 97.

a) vid. *Friderici I. Imp. pax prouinc. primae §. 19. Eiusd. pax prouinc. altera. Eiusd. Rec. die Nord-*



cerent, atque crudelissimis quandoque suppliciiis libidinem latrociniorum coercerent, *b*) huic prouidendae pares. Sed quando attritis variis modis Impp. domaniis & pene euanescentibus, in ditionibus suis hereditariis perpetuam sedem figerent, eamque ob causam iure manuario, & diffidationibus quotidie inualescentibus, ac pene in constitutionem reipublicae transeuntibus; rapinae & latrocinia fere non tantum pro licitis haberentur, *c*) ac a nobilibus immo quandoque liberis terrarum dominis *d*) excercerentur: tunc aduocati prouinciales in quos saepissime, & fere semper, ex rationibus politicis minus potiores,

F

im-


Mordbrenner und Friedensstoerber betreffend d. a. 1187. in corp. Rec. imper. P. 1. p. 9. seqq. *Friderici II. pax publ. d. a. 1236. c. 11. §. 2.* ap. SCHLIER in *Thes. antiq. Teut. T. 2. in app. p. 5. & 6.*

b) Triste eiusmodi exemplum commemorant ALBERTVS STADENSIS ad a. 1226. nec non GODEFRIDVS COLONIENSIS ad eundem annum.

c) Legatur modo historia, quam de Wernero Hunsteinio *Chronic. Thuringiae* narrat: ap. SENCKENBERG sel. T. 3. p. 493. Clarius adhuc hoc probant dipl. d. a. 1282. 1395. & 1438. apud

L. B. de GVDENVS in *Cod. dipl. T. 1. p. 787. T. 3. p. 605. seqq. T. 4. p. 237. seq.* Cui nec haec sufficiant, is adeat DATTII *uolumen rerum German. seu de pace publica*, ubi omnibus paginis miserandus patriae nostrae tunc temporis status elucescit.

d) v. Consult. ORTH in *tr. von den Reichsmessen §. 47. in sin.* ibique citat. Add. *CHRONIC. THVRING. ad a. 1439.* ap. L. B. de SENCKENBERG sel. T. 3. p. 420. seqq., & *LVCÆ Graesen-Saal p. 795. seqq.* nec non *IOANNIS rer. Mog. T. 1. p. 616. TRITHEMII chronic. Hirsang. Vol. 1. p. 608.*



immo haud raro nobiles inferioris ordinis assumebantur, e) securitari atque conductui cum effectu praestando, rarius pares fuere. Ac quo magis tunc peregrinantibus speciali illa securitate, quam conductum vocant, opus erat, eo minus ab Impp., eorumque vicariis, aduocatis prouinc., cum effectu impertiri poterat. Quare ab iis temporibus status potentiores f), quibus ne commercia in totum extirparentur cordi erat, peregrinantes non per eorum solum proprias, sed vel maxime vicinorum statuum minus potentiorum ditiones conducere coeperunt. Atque abhinc ius conducendi & regale viarum publicarum, antea Impp. competens, horum expressa tacitave concessione, non tam in terris illorum propriis, quibus iam multo ante hocce iure gaudebant, quam vel maxime in vicinorum

e) Ita an. 1344. Friedrich forye nit gehan en mag, davon Hutrin suit Landsoyd zu nit er sich betragen moege als ein Wettreybe und Schultbeiß zu Landsoyt. ap. III. SENCKENBERG Franckinfort, teste diplom. ap. sel. T. 1. p. 119. BERNHARD in antiq. Wetter. L.

3. C. V. §. 3. p. 226. Circa annum 1410. HERMANNVS de Rothenstein aduocatus prouincialis in Wetter. functus legitur ap. III. ab HESSE in tr. de super. territ. in Wetzlur. c. 1. §. 4. Add. omnino de exiguo aduocati prouincialis salario chartam Ludou. Bauar. d. a. 1333. vbi: wann ein Landsoyt in der Wetterau so viel geltis von der Land-

f) Probant id exempla iuris conducendi per vicinorum minus potentiorum ditiones, Elect. Palatini, Saxonici, March. Baudensis, Ducis Wurtemberg. & quos primo loco nominare debuissim SEREN. HASS, LANDGR. cfer. STRVV. in corpore iur. publ. c. 30. §. 28. add. omnino CETTINGER de iure limitum lib. 1. cap. 9.



rum minus potentiorum statuum ditionibus exercendum, illis obuenit. Et longissime absuit, quin tunc temporis minus potentiores ditionum domini huic potentiorum iuri conducendi inuidissent, vt potius hac ratione per eorumdem ditiones quocunque modo restitutum commerciorum vsum maxime gauderent. g) Reducta demum, per *Pac. imp. publ. vniuersalem perpetuam ao. 1595. primum stabilitam*, tranquillitate imperii, prohibitaque diffidationum licentia, cum paullulum Germania nostra a turbis respirare, maiorque quaedam securitas peregrinantibus, e curatori quadam reipublicae disciplina, affulgere videretur; & ius conducendi cessasse, & conductus in desuetudinem abiisse videri posset. At vti inueteratum malum vno ictu tolli minime poterat; ita per haud exiguum tempus diffidationum licentia in Germ. nostra adhuc perdurauit. b) Nec prius, quam per nouam illam pacem imperii publicam d. a. 1548., & ne tunc quidem statim penitus, tolli poterat. Immo licet successu temporis diffidationes quidem cessauerint, non tamen aequae latrocinia, rapinae, furta, aliaque quae peregrinantibus tenduntur insidiae, prorsus e Germ. profligari poterant; in quo multum obsuit perpetua illa territoriorum commixtio. Quare factum est, vt haud pauci statuum, quibus ab antiquis temporibus ius conducendi per vicinorum

F 2

norum

g) v. GOLDAST in *den Politischen Reichshaendel* cap. 25. n. 3. S. 991. SPENER in *1. P. 4. B. 2. C. S. 488.*

b) Si quis forsitan hac de re

dubitare velit, cum lectio der *Lebensbeschreibung Goetzens von Berlichingen* zugenannt mit der *eisern Hand*, herausgegeben von FRIDERICH WILHELM von PI-
STORIVS aliud docere poterit.



norum statum ditiones obuenerat, haud interrupta serie ad Pacem Westph., immo nostra vsque tempora exercuerint, & etiamnum exercent.

§. XIII.

IUS CONDUCENDI AB ANTIQVO IN ALIORVM DITIONIBVS EXERCITVM, PACE WESTPH. IN PERPETVVM CONFIRMATVM EXISTIT, NEQVE HOC CASV TERRITORIORVM DOMINIS, VI SUPERIORITATIS TERRITORIALIS COMPETIT.

Hodie *ius conducendi* quod status in aliorum vicinorum ditionibus ab antiquo ad Pacem vsque Westph. exercuerunt, sicut reliqua huius generis regalia, v. §. 10. ita eis confirmatum existit, *vt a nullo vnquam sub quocunque praetextu de facto in eo turbari possint vel debeant.* a) Nec in eo territorii illius, in quo *ius conducendi* ita ex antiqua obseruantia exercitum fuit, dominis, plus atque aliis quibuscunque iuris competet. Licet enim vi territorialis superioritatis qua nunc status gaudent, vti regalia regulariter omnia, ita etiam *ius conducendi* iam competat, nec hodie ad id specialibus Impp. concessionibus amplius opus sit, sed id vi iuris eorum territorialis exercere possint; attamen intuitu eorum statuum per quorum territoria ab antiquis s. capitulationes scriptas antecedentibus temporibus b) ad Pacem vsque Westph. exercuerant, hoc fallere ex antecedentibus in propatulo est. Nec enim per superiorit. territ. formalem, quae tantum in relatione

a) *Instrum. Pac. Osnabr. Art. pac. ad Art. VIII. §. I. not. 6. VIII. §. I.*

b) HENNIGES *ad Instrum.* pag. 870.



latione ad Imp. complexum regaliaum adiecit, ea regalia, quae alii ab antiquo exercuerant, dominis territorialibus obuenerunt. Quare ergo ius conducendi ab iis, quibus ita ex antiquis Imp. concessionibus obuenerit, non eodem tantum, quo statuum territorii ius, utpote Pace Westph. confirmatum, sed & hoc adhuc antecedenti iure tenetur. c)

§. XIV.

COMPETERE HODIE IUS CONDUCENDI ETIAM VARIIS ALIIS MODIS POTEST, INPRIMIS PRAESCRIPTIONE; VBI SVFFICIT ORDINARIA, NEC TITVLVS DESIDERATVR.

Ceterum ius conducendi hodie etiam variis aliis modis, a) sicut reliqua regalia, in alieno territorio, & acquiri, & competere potest. Nec cum hodie status circa dispositionem, alienationem, oppignoracionemque feudo-


F 3 rum

c) Concidunt ergo, quae alias falso huc trahuntur conclusiones. Vtputa ius conducendi esse strictissimae interpretationis &c. Origo iuris conducendi quam hucusque copiose satis exposui, longe aliter nos concludere iubet. Et certe ius conducendi ex antiquis

Imp. expressis tacitusue concessionibus competens, maxime utilitati publicae proficuum existit. Vid. §. 8. *Videlicet per id securitati peregrinantium, & ne illi noxii, sub quocunque nomine,*

a ditionum dominis onerentur actionibus provideri solet. Qua de causa id potius maximo favore amplectendum puto, adeoque id omnino mihi quam largissime interpretandum esse videtur. Ceter. COCCII iurispr. publ. cap. 32. §. 47. in fin.

a) Satis copiosus in iis recensendus est ENGELBRECHT in *tr. de seruit. iur. publ. S. 2. membr. 3. add. HVGO in tr. de statu region. Germ. C. 6. Quos hic expilare nolo.*



rum suorum, multo liberiori, ac alii vasalli priuati, facultate gaudeant; ad id Imp., qua Domini directi, consensu quodam opus erit. *b)* Hodie igitur Domini territorialis expresso tacitoue consensu hocce ius constitui posse dubium patitur nullum. Quare & *praescriptione competere poterit*. De qua, missis reliquis acquirendi modis, utpote satis certis & indubiis paucula commentari luber. Et primo quidem ius conducendi *praescriptione immemoriali* competere posse indubitato constare credo. *c)* Siquidem enim, quando quis iure quodam, tanto retro tempore, quousque homines nunc memoriam repetere possunt, gauisus fuerit; nec de initio quo ad eum peruenerit *d)* con-

b) V. ENGELBRECHT *cit. tr. fl. T. 2. dec. 782. n. 2.* LVDEWIG *Confil. Hall. T. 1. L. 1.*

c) Concedit hoc etiam iuri *Confil. 71. n. 23.* aliique omnes. *Add. Rec. Imp. d. a. 1584. §. 56. & 64.*

d) De titulo quodam igitur in *praescript. immemor. ex ipsa eius natura quaeri non potest;* uti nec de aliis reliquarum praescript. requisitis. Ceterum si de initio praesentis possess. haud constet, immem. possess. non obstat, si ex documentis forsitan monstrari queat rem quondam aliter sese habuisse. Nec enim alias vlla possessio pro immemoriali haberi possit; cum nul-

relevante *T. 1. opusc.* HERT *Con-*

la



constet: & id ei legitime quondam acquisitum fuisse, fortissima oriatur praesumptio, & ex tanto tempore Domini territorialis certissime colligatur consensus, atque vim privilegii concessionisque tacitae e) habeat. Non enim iam attinet eorum opinionem copiose refutare, qui nullam iurium imperanti competentium praescriptionem admittunt; siue quod nulla derelictio ab Imperante possit praesumi, siue quod negligentiam ei obiicere nefas, siue quod nec haec Reipublicae praeiudicio esse queat; utpote ab HVGONE GROTIUS in aeterno opere de iure belli & pacis f) iam satis destructam. Potius ius conducendi a statu in alterius ditione, praescriptione ordinaria, si non decem vel viginti, certe tamen 30. annorum acquiri posse, persuasum mihi est. g) --- Recte monet GROTIUS h) ea iura, quae de summo imperio aut separari naturaliter possunt, aut

la plane possessio tam antiqua fingi queat, ubi non ex historia constet rem aliter quondam sese habuisse. v. ab ICKSTATT de poss. regal. subdit. adv. principem nil releuante. §. 93. cfer. BOEHMER in I. E. P. L. 2. T. 26. §. 40. LEYSER sp. 460. m. 2.


e) c. 26. X. de V. S.

f) in iure bell. & pacis Lib. 2. c. 4. §. 1. seqq.

g) Regalia a statu contra constitutum quippe qui pari iure vtantur, tempore ordinario

praescribi defendunt. HORN. cl. 2. resp. 5. in med. ENGELBRECHT in tr. de seruit. iur. publ. S. 2. m. 3. §. 4. circa fin. HVGON in tr. de Statu region. Germ. c. 6. §. 23. in f. & §. 24. STRYK in diss. de iure princip. extra territor. c. 1. n. 20. FRIISCH de regali viarum publ. c. 4. cap. 10. SIXTIN. de regal. lib. 1. cap. 5. n. 137. ROSENTHAL. de feud. c. 5. concl. 17.

h) in iure bell. & pac. L. 2. c. 4. §. 13.



saltem cum aliis communicari, omnino subiacere Legibus populi cuiusque civilibus, quae de usucapione & praescriptione factae sunt. Quod in imperio nostri eo magis obtinebit, cum in eo status iuribus communibus, salvis quidem ubique moribus patriis, qui nec hic discedunt, per pacta sese subiecerint. Quemadmodum igitur ius conducendi in aliena ditione vulgo servitutis nomine venire solet; i) ita nec ulla obstat ratio, quominus non eodem, quo illae, tempore, decem sc. vel viginti certe triginta annorum spatio, praescribi queat. Nec ad hancce, uti reliquarum servitutum praescriptionem, titulo quodam opus, k) pro quo, quod quis *tam diu non vi, clam, precario, patiente territorii domino* usus fuerit, reputandum erit. l) Neque quae contra praescriptionem regalium, vel de defectu bonae fidei, vel quod dolus aut negligentia ministrorum, Domino praecudicio esse nequeat, ab III. ICKSTAT-
TIO

i) vid. *supr.* §. 8.

k) Quando quis non vi clam precario servitute per longum tempus utatur acquisita existit. Et hoc ipsum pro titulo est. *L. 10. D. si servit. vindic. L. 1. in fin. D. de aqua & aqu. plu. arcend. l. 2. C. de servit. & aqua add. omnino l. 12. in f. C. de praescript. long. temp. VOETIUS in comment. ad P. L. 8. Tit. 4. §. 4. HUBER in praelect. Tit. cod. §. ult.*

l) Idem quod not. praeced. k.

de servit. privat. adstruxi, etiam ratione regalium obtinere erudite docet VVLTEIVS *Conf. Marp. Vol. 2. Consil. 30. n. 245. seqq. add. in primis ORTH de iure conduc. p. 241. STRYK de iure principis extra territ. c. 1. n. 32. KLOCK de contribut. c. 120. n. 227. HARIM. PISTOR lib. 1. q. 6. BERGER in Elect. proc. poss. §. 26. Idem de Jur. ffici in dubiis quaestion. §. 43. in f. WERNHER enunciat. for. hodiern. 316.*



tio *m*) ingeniosissime mouentur dubia, hic obstare poterunt. Cum enim ius conducendi saepissime in alieno territorio competere soleat; *n*) status, ii praesertim, qui iam ante hic vel illic locorum in aliena ditione, iure hoc indubitato gaudeant, id opinione iuris sibi competentis, exercere, ac siquidem in hac opinione b. f. consistat, in optima fide esse poterunt. Praeterea vii ciuitas imperantis cui imperium, ita imperans ministri cui potestatem suam exercendam commisit, facta, ex consensu qui hic intercedit tacito, agnoscere tenebitur. Denique nec quemquam, quod a quibusdam, ex erronea Doctorum quorundam iuris ciuillis seruitutum in continuas & discontinuas distinctione, accersiri solet argumentum *o*) morabitur. Siquidem enim cum quousque possessio animo retineatur, haud pereat, seruitutum in continuas & discontinuas distinctio, & quae intuitu praescriptionis statuitur differentia, solide ab aliis refutata, & quod hae non minus atque illae ordinario tempore praescribantur, probatum fuerit *p*)

F

§. XV.

m) in comment. de superiori-
tat. territ. eiusque iuribus dolo
vel negligentia ministr. non amir-
tenda, & in diss. de poss. regal.
subditum aduersus principem nil
releuante. Viraque Tom. I.
opusc. exstat.

n) Vid. infinita, quae hanc
in rem afferunt doctores exem-
pla v. c. ap. STRVV. in corp.
iur. publ. c. 30. §. 28. KLOCK.

T. I. consil. 50. n. 45. consil. 9.
n. 36. & consil. 27. n. 16. alios-
que omnes iur. publ. script.

o) Ex hac ratione enim
MAVL. l. not. c. relato praescript.
immemorabilem necessariam pu-
tat.

p) VINNIO select. quaest. Lib.
I. q. 31. BACHOV. ad TREVTLER
V. I. disp. 17. §. 8. lit. a. Col-
leg. Pand. argent. Tit. de ser-
uit.



§. XV.

CONDUCENDI IURIS DNO CONTRA TURBANTEM, QUACUNQUE
RATIONE IN POSSESS. IUR. SVI SESE DEFENDENDI ETIAM
VI ET ARMIS IVS EST.

Quandoquidem vero in possessione conducendi iuris ita ab antiquo constitutum, vel territorii illius in quo exercetur Dominus, vel alius quicumque, seu vias per quas conductus duci solet impediendo, seu valvas villarum per quas transeundum occludendo, seu postellas Dno conductus praeiudicantes erigendo, seu alia quacunque ratione de facto turbare audeat; illi quaecunque possessionem suam defendendi media, *etiam vi & armis licebunt.* a) Est quidem in qualibet bene constituta republica, ac in-

uir. n. 38. seqq. LEYSERO spec. 108. m. 1. BERGER in Elect. dissect. for. Suppl. P. 2. p. 341. EODEM in oeconom. iur. p. m. 302. add. in primis VOETIVS & HUBERVS supra not. k. relati. Et quantum haec opinio quondam a plerisque practico-rum MEV. P. 9. d. 165. n. 8. & 9. ac etiam scriptoribus cameralibus GAIL. lib. 2. obs. 66. n. 6. MYNSINGERO 4. obs. 53. aliisque probata fuerit, iisque in praxi recepta perhibeatur; Hoc tamen errori suffragium parere minime poterit. Nec enim

quod non ratione introductum, sed errore primum, deinde consuetudine obtentum est, in aliis similibus obtinet l. 39. de LL. Ac legibus non exemplis iudicandum est L. 13. C. de Sentent. & interlocut. omn. indic. Ratio Praeiudicii praevalere debet, haec sequenda est non exemplum. LVDOLF in iur. camer. S. 2. §. 8. obs. 24.

a) In quo etiam ORTHIVM in tr. de iur. conduc. c. 7. p. 252. consentientem habeo.



primis imperio nostro Germanico, omnis vis, arma, & disceptatio per vim priuatam inter ciues prohibita. b) Quando homines in societates ciuiles coeuntes, iuri suo naturali, communis pacis atque tranquillitatis caussa renunciantes, auxilium a magistratu expectare maluerunt. Quemadmodum vero tunc, vbi magistratus auxilium deficiat, vbi antequam magistratus auctoritas subuenire queat, grauissimum damnum immineat c); hoc conuatum non factum ius, quod ex ipsa natura hausimus praecepimus arripimus, etiam in ciuitate illibatum seruatum fuit; & quemadmodum hoc si alii possessionem nostram nobis interuertere praesumant, vel inprimis etiam contingat: d) ita non modo iam Leges Romanae e) cuiuslibet adeo possessori priuato, sese vi & armis in ea defendere, amissamque in continenti recuperare permiserunt, & immutabilis hic iuris canon ab omni aetate sub praerogativa: *wer nicht kann fechten gewint nichts in rechten.* f) Germanis maxime probatus fuit; sed etiam id quod iam priuatis permittitur, statibus imperii, quo grauiora iis ex

G 2 se-

b) vid. *Instr. Pac. Osnabr. Arr. XVII. §. 7. add. Constitur. variae de Pace publ.*


c) *BYDER in diss. de violenta defens. in statu civili §. 31. & 32.*

d) Commoda possessionis infinita hic depraeedicare nolo. Ac licet contra turbantes atque delicientes satis pingua in iure

proditia sint remedia iudicialia, sexcentis tamen modis possessionem seruasse, praestare nemo negabit.

e) *L. I. C. unde vi L. I. §. 27. D. de vi & vi armata, aliasque innumerac.*

f) *HERT. paroem. iur. Germ. L. I. par. 88. Opusc. V. I. T. 3. p. m. 543.*



semel amissa possessione, in rei iudicialis imperii constitutione pericula metuenda, eo magis iis, sese in possessione sua vi & armis defendere, ab omni tempore licuit. g) Tum praesertim si in antiquissimis eorundem & in ipsis imperii LL. iis confirmatis iuribus illos turbare quis praesumerit. h) Ceterum iuris conducendi Domino etiam quaecunque alia in iure prodita remedia tam possessoria, summariissima h) aequae ac ordinaria competere, hucusque dicta dubitare quemquam minime patiuntur. Quaecumque vero

g) *Pax imper. publ. d. a.* LAVTERB *in Colleg. Th. Pr. L.*
 1521. *Tit. 2. verb. Gegen-* 43. *Tit. 16. §. ult. R. I. de*
vvehr zurhun. O. C. P. 2. T. 4. 1555. §. 14.
 9. §. 2. *Instrum. Pac. Osmabr.*
Artic. XVII. §. 1. seqq. Aliique
 innumeri loci hoc probantes in
 LL. imperii occurrunt, v. Ill.
 GEORG LUDWIG BOEHMERI *f.*
resp. IVL. MELCH. STRVBEN,
princeps ius suum vi & armis
tuens per tot. ENGELBRECHT de
seruir. iur. publ. S. 2. m. 4. §.
 22. *not. n. Add. Ill. PVTIER.*
elem. iur. publ. §. 578.

h) Si quidem hac in possessione regalium, iurisdictionis, ac quorumcunque iurium competentium, qui alterum praesumerit turbare, fractae pacis publicae reus habeatur.

LAVTERB *in Colleg. Th. Pr. L.*
 43. *Tit. 16. §. ult. R. I. de*
 4. 1555. §. 14.

i) Haud pauci Deum summariissimo ratione regalium locum concedere nolunt. Sed natura huius remedii eorum sententiam, quod pace eorum dixerim erroneam esse, satis aperte docet. Etenim summariiss. non nisi tunc locum habet si litigiosa fuerit possessio. Sc. cum vbi talis fuerit, vtraque pars eandem sibi asserat, & vice versa quoque alteri neget, interim tamen vna alteraue durante lite, & ne partes ad arma veniant, eandem necessario obtinere debeat; per possess. summariiss. necessario




vero haec sint, quaeque sunt vnus cuiusque requisita & effectus

G 3

fario decidendum; quisnam durante lite in possess. relinquendus. Quousque nempe hoc tantum pertingit. Cumque porro nemini quamdiu adhuc iustam possess. suae causam habere possit & probare intendat, eadem eripienda sit; etiam subditus durante lite in possessione regalis, id quod fit per summariissimum relinquendus. Adeoque nullam habet rationem quod plerique Dres v. c. BERGER in *oecon. inr. L. 4. Tir. 3. §. 5. n. 10.* non nisi possess., decennalem attendendum esse velint. Quae cum ita sint possess. summariiss., a statu contra constatum intuitu huius illiusve eidem in aliena ditione competentis iuris institui posse, nullum habet dubium. Constitutio de litigiosa possessione, quae licet haud vnam crucem commentat, proc. cam. figere solet, in O. C. p. 2. T. 21., id apertissime probat. Nec

hac de re tot verba fecissem, nisi id quandoque magno ausu negatum fuisse, meminissem. Mecum etiam plerosque, qui hac de re scriptis aliquid reliquerunt iuris interpretes habeo consentientes. ENGELBRECHT in *tr. de seruir. iur. publ. §. 2. m. 3. §. 24. not. n.* LAVTERB. in *Colleg. P. Tir. de interd. §. 13. circ. sui.* GRAVIUS de *iudic. possess. summariiss. th. 44. aliosque plures.* Add. GAIL. l. 1. obs. 5. & de *pignorat. obs. 1. B. FRIDERVS MINDANVS* (quem inter maiores meos venerari licet) de *process. L. 1. c. 44. n. 15. seqq.* Cum ad praescriptionem iuris conducendi nullo plane titulo opus sit, & eadem ex solo temporis lapsu procedat, vti §pho antecedente probaui; facile patet in litibus desuper ortis minus recte tituli editionem desiderari. Cum status inter se & vbi que ad paria iudicentur, & longi temporis possessio pro titulo



fectus ORTHIVS k) iam satis ample exposuit, cuius scriinia
expilare nolo.

§. XVI.

DE DNI COND., IVRE PUNIENDI DELICTA IN VIA CONDVCTI-
TIA COMMISSA, ET PERSEQVENDI FACINOROSOS REMISSIVE;
CVM EPILOGO.

Possem ex haectenus dictis varias elicere conclusiones,
possem de iure puniendi delicta contra securitatem pu-
blicam in via conducticia commissa, quod Domino iuris
conducendi, vii etiam facultas latrones & infestatores
securitatis publicae conquirendi ius, competit, a) quod
vero a Doctoribus quibusdam erronee in variis limitari
solet, aliisque huc spectantibus materiis varias adhuc ad-
dicere obseruationes. Sed cum iam mihi tempus deficiat,
hic subsistere, eaque alii tempori seruare cogor. Ite-
rum ab humanissimo Lectore, quam statim ab initio ro-
gans veniam; qui si plus temporis suppetat, & magis ru-
minata, & concinniori ordine expectet.

titulo habenda sit. v. not. k. de Principibus & stat. imp. P. 2.
§. 14. c. 59. §. 13. cum mult. ibi citat.
k) in tr. de iure conduc. ENGELBRECHT de seruitut. iur.
cap. VII. per tot. publ. §. 2. m. 3. §. 19. add. con-
sult. ORTH. in tr. von den R.
a) STRVV. in corp. iur. publ. Messen. §. 64. p. 108. seqq.
c. 36. §. 32. SCHWEDER in in- Ceterum e chartis supra §. 5.
rod. in ius publ. P. spec. S. 2. r. relatis quodammodo iudicium
§. 12. MYLERI, ab EHRENBACH de eo ferri poterit.



VD 18


ULB Halle 3
004 087 81X



TA → α







24

Gen. C. num. 7.

1971/11/1

Q. D. B. V.
COMMENTATIONIS IVRIS PVBLCI HASSIACI
DE

CONDV CENDI IVRE
SERENISSIMORVM HASSIAE
LANDGRAVIORVM

PER WETTERAVIAM,
PARS PRIOR ET GENERALIS,
OBSERVATIONES

DE CONDVCTV, EIVSQVE IN GERMANIA
ORIGINE ET HABITV, POTIORES
COMPLEXA

P. 172.

QVAM
CONSENSV

ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS
IN ALMA LVDOVICIANA
PRO SVMMIS IN IVRE HONORIBVS
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS
RITE CONSEQVENDIS

PVBlicAE PROCERVVM ACADEMIAE DISQVITIONI
SVBICIT

CHRISTOPHORVS LVDOVICVS WILHELMVS
BVFF

IN ILLVSTR. REG. GISS. ADV. ORD.
AD DIEM XIV. NOVEMBR. MDCCLXXI.

GISSAE,
apud IOANNEM IACOBVM BRAVN, acad. typogr.

